THEOLOGICARUM QUAESTIONUM, AC TRACTATIONUM OMNIUM HUCUSQUÈ À DOMINICO...

Domenico Toschi



233

TRACTATVS
DE
NATVRALI HVMANA
FORMALITATE NOSTRA,

Deq; internis principijs, & virtutibus intellectiuæ substantiæ nostræ, & primò de eius potentia, potentiæque libertate, ac de ea, quam in natura à Deo sortita fuit harmonica concordia.

Numero Secundus.

Ex eiusdem lucubrationibus


DOMINICI TVSCHI CIVIS REGIENSIS.

Censuræ Sacrosanctæ M. Ecclesiæ humillimè oblatus, & subiectus, vt eius illustratus lumine sanctissimæ consecretur veritati ad Dei Triniunius gloriam. Amen.



BONONIÆ M.DC.LXIV.

Ex Typographia Ferroniana. Superiorum permissu.





Xpleto Tractatu de nouo homine nostro, sub cuius explicatione formalitatis (quantum diuinæ placuit liberalitati, nostriq; permisit exiguitas ingenij) nostræ in Deum conati fuimus adumbrationem delineare filiationis, illamque nostræ repręsentare menti, vt ex illius inspectione ipsius amatores facti formæ, nostras in Deum semper eleuatas haberemus mentes, vt non in terris, sed in cœlis nostra semper esset conuersatio, ad quam *Apost. & ad Philip. c. 3. nu. 20. & ad Colofs. c. 3. nu. 1. 2. & 3.* nos monet dicens: *Si cum Christo consurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus in dextera Dei sedens est, quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super terram, mortui enim estis* mundo, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, vt cum Christus, vita vestra apparuerit, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*, ad quam nos omnes aspiremus, oportet. Reliquum est modo, vt naturalis humanæ nostræ delineamenta formalitatis eadem curemus diuina effingere donatione, vt quod verè natura sumus, attentius contemplantes rectè iuxta nostræ præexcellentiam formæ semper magis operari contendamus, vt nostrę à Deo nobis donatum inuiolatum seruemus naturæ principatum, non ignorantes, quod sicut *Angelos eos, qui suum non retinuerunt principatum in iudicium magni*

diei vinculis æternis sub caligine cruciandos reseruauit Deus, Iud. sua vnica nu. 6. ingrato sic faciet homini sua sancta incontemnenti dona, *Pet. 2. c. 2. nu. 9.* quæ enim maior ingratitudo inueniri potest, quam liberalissimi dona proijcere largitoris? Portentum enim in natura monstruosum est, quod humana species nostra, quæ vnica hac rationis differentia à reliquis distinguitur, ac separatur animantium speciebus, ac cuius virtute in sui constabilitur, & conseruatur principatus throno, eam quandoq; sic neglectè despiciat, vt in fundum se voluntariè demergat irrationalitatis, id vtique non ex alio euenire posse credendum est, quam quia, quam capit, pretiosam non putat habere animam, sed iumento se similem esse credens, veram propter hoc libertatem in miserrimam commutat seruitutem, ex quo in tot, tantaq; se proijcit errata, vt impossibile esse videatur, quod in participem rationis talia cadere queant, cuius causam in medium afferre pro posse curabimus Deo hoc nobis donante.



DE



DE POTENTIA,

Potentiæque intellectus nostri libertate.
Caput Primum.



NOster quod viuat intellectus sapiens nullus dubitauit vnquam, de eo igitur acturi, primò, quid ipsius sit viuentis potentia præmittamus, oportet, quæ esse dicitur, & est verè interna substantiæ viuentis vis, & facultas agendi secundum substantiæ illius formalitatem, cuius illa dicitur esse potentia, actusque illius principium, atq; in eadem à natura ingenita substantia interna inuisibilis operandi virtus, & causa, à cuius quidditate, qualitate, & nomine, eius, in qua inest, venamur substantiæ quidditatem, qualitatem, & nomen.

Nostræ igitur animæ intellectiuæ potentia est vis, & facultas, seu virtus in dictæ intellectiuæ animæ substantia a Deo ingenita per se liberè agendi quidquid sibi magis placet; Verè autem vt libera sit, & liberam agendi facultatem habeat, non coactè, sed suapte natura liberè quidquid sibi magis placet, agere possit, necesse est: liberè autem agere vt possit, voluntariè, hoc est ex libero suo id possit arbitrio, opus est, voluntariè verò vt possit, quod velit, intelligat oportet, quia ad id, quod ignoramus, nostra non fertur voluntas. Sua igitur libertate cum ad agendum noster se ipsum per se mouere, & excitare valeat intellectus, ac re vera, si vult, se moueat, & excitet; hoc vt liberè agat, ad intelligendum se ipsum mouere, & excitare velit, oportet: hoc autem vt velit, hoc se velle intelligat; necesse est, alias, si id agere velle non intelligeret, quod nos ipsum, vt agat, aggredientem ipso supponimus facto, non liberè per se ad agendum se moueret, sed inscius in brutorum morem ad agendum ab ipsa moueretur natura, & sic in ipsis primis naturæ principijs, ab eorum agendi non distaret principio, quod ipsa est appetitio pura. Pura ergo intellectiua potentia ipsa pura voluntaria potentia in ipsa non est prior, vel posterior intellectus substantia, neq; è contra, sed vtraq; simul vna est tantum voluntaria intelle-

telle-

tellectiua, & intellectiua voluntaria potentia, seù vnius duplex vnitæ potentiæ virtus.

Indiuisa autem voluntariæ partis potentiæ huius, seù internæ mutuæ virtutis illius internum notum principium, principijuè naturale lumen, ac index desiderium est illud sciendi in humana à Deo ingenitum mente, quo per se libens quisq; ad sciendum se mouere potest, ac, si vult, re ipsa se verè monet, excitat, idq; agit.

Indiuisæ verò intellectiuæ partis, seù internæ mutuæ virtutis potentiæ huius internum nobis notum principium, seù principij naturale lumen, & index ipsa est ingeniti desiderij huius, ac virtutis illius in nostra insitę mente cum eodem simul congenita desiderio naturalis notio, qua sic, vt supra, & illa nostræ esse insita menti, & pro nostro ijs posse vti scimus libito, ac re, vt vtamur, scienter aggredimur, vt reciproca hac liberæ huius virtute potentiæ possimus simul & velle scire: & scire velle, vt volentes scire, nostra verè esset voluntaria scientia: scientes verò velle, nostra verè secundum rectam scientiæ rationem esset recta voluntas, vt coniunctim volentes, & scientes: scientes, & volentes nostri liberè rectè, & recta nostri liberè vteremur simultanea libera, & recta: recta, & libera intellectus facultate, quæ vtiq; si non huiusmodi esset libera simul, & recta vndequaq;, vt eam fecit Deus, esse non posset. *Eccles. c. 7. nu. 30. Eccl. c. 15. nu. 14. & 17. Sap. c. 6. nu. 11. Apost. ad Philip. c. 3. nu. 16.* in hunc sic à Deo congenita finem, vt ea liberè, & rectè: rectè, & liberè vtentes, rectè quoq;, & liberè: liberè, & rectè viueremus, & ageremus, sic viuentes, & agentes super omnes inferioris speciei animantium gradus solidum inuiolatè, & inuiolatum solidè nostræ seruaremus naturæ principatum à Deo nobis donatum, & commendatum, *Gen. c. 1. nu. 26. & 28. Iud. eius vnica, nu. 6. Eccl. c. 14 num. 21. c. 33. nu.* 23. quem sic seruare, est illis rectè, & liberè dominari, quale rectum, & liberum decet, ac debet esse dominium, quibus vt omnibus dominemur, ac cum veritate dominati fuisse, & esse dicamur, nostræ quoq; dominemur, ac dominati simus carni, necesse est, quia re vera est & illa ex eodem animalitatis genere, cui à Deo dominari iussi sumus, *Gen. c. 4. nu. 7. Eccl c. 18. nu. 31. Io. c. 8. nu. 34. Pet. 2. c. 2. nu. 19. Apost. ad Rom. c. 6. nu. 16. c. 7. nu. 23.* Ex certa ergo scientia à libera nostra excitata voluntate, & ex libera voluntate à recta mentis regulata, & determinata lege, & scientia secundum ordinem nobis à Deo in natura dispositum, & constitutum nostræ errores reprobantes carnis, peruia, ac recta sectantes, & eligentes mentis, Deo nos immaculatos exhibere pos-

re possumus, pro ut verè nos exhibere debemus. *Prou.c.4.num.25. & seq.c.3.nu.22. Eccl.c.31.nu.10.d.c.33.nu.23.c.35.num.5. Apost. ad Rom.c.6.nu.12.& 13.c.13.nu.14.c.7.nu 25.ad Eph.c p.n.4.c.2.nu.10.* Huiusmodi verò nos exhibentes in verbo Domini tot velut Dij in facto nostro dicimur esse beati. *Eccl.d.c.31.nu.10.c.14.nu.21.c.18.nu.31.Psal.18.nu.14.P.81.nu.6.Psal.96.nu.10.Prou.c.10.nu.16.& 17.c.11.nu.5.Amos c.5.nu.15.Apost. ad Rom. supradictis in locis, & cap.12.nu.1.& 9.Iac.c.1.num.25.Io.1.c.3.num.7.* Huiusmodi autem intellectiua potentia cum sit verè, vt iam dictum est, in semet ipsa voluntaria, voluntarièq; ad intelligendum se ipsam mouere valeat, ac re vera, si velit, se moueat: sic autem se mouens, si pariter velit, re vera intelligere valeat, ac re ipsa volens intelligat, propterea, *Eccl.c.6.nu.34.* scriptum est: *Quod, scire qui voluerit, sapiens erit*, ideò scire volenti difficile nihil dicitur esse. Ad intelligendum propterea qui re non se excitauerit, ab eo se abstinuisse voluntariè dicatur, ac re verè se abstinuerit, voluntariè verò se abstinens, ab ignorantia se cum veritate excusare non potest, nobis propterea peccato ipsa imputatur ignorantia, quia verè ignorare voluntariè volumus, ignorare autem volentes peccamus, *Num.c.15 nu.27.& 28.Luc.c.12.nu.47.& 48.Ose.c.4.nu.14. in fine*, ib., quia *populus non intelligens vapulabit*, nam cum per ipsam exuscitationem formalitatis intellectus, ad quam volens se euehere potuisset: euehens autem etiam intelligere potuisset benè agere, quod non faciens dicitur etiam noluisse intelligere, vt benè ageret, quod nolens, etsi non spontè, *Num.d.c.15.nu.25.* in necessariam tamen consequentiam quamdam benè agere noluisse dicitur, quia *benè agere, noluit intelligere, Psal.35.nu.4.* hoc propterea ei ad iniquitatem imputatur, quia causa causæ est etiam causa causati: Ad nostram propterea eruditionem *Psal.13.nu.2.& Psal,53.nu.3.* introducitur Deus de cœlo suo sancto prospicere super filios hominum, vt videret, si vllus esset intelligens (& consequenter requirens Deum, quia sapientia Diuina stat in medio semitarum iudicij, vt thesauros intellectus nostri repleat diuitijs suis, quæ sunt *scientia, & intellectus iustitiæ, Prou.c.8.nu.20.& 21.& Eccl.c.4.nu 21.*) videns autem, quod nullus hoc faceret, dixit: Quod propter hoc omnes erant facti inutiles, quia cum Deus intellectum pro nostra essendi, & agendi nobis dedisset forma, per quam illi *seruire valemus, ac re ipsa seruimus, Apost. ad Rom.c.7.nu.25.* ea re non vtentes verè facti dicimur esse inutiles, ac velut intellectum nō habentes, nam, si vnumquodque formandum, suum vt in esse formale constituatur, ac in eo con-

feruetur, suæ sumat, & conseruet actum formalitatis, necesse est, alias secundum intentionem formantis inutile, & pro non formato reputandum est, quia, cum nil aliud sit formalitas, quam actus emanatio à propria potentia ad agendum se mouente, quo vel non adepto, vel dimisso inutiliter iaceat, & pro non formato habeatur, consequens est. Propterea *Psal. 48. nu. 13. & 21.* dicitur. *Quod homo, magno cum in honore à Deo* per infusionem intellectus constitutus esset, vt videlicet, si vellet, actualiter intelligere posset, *hoc non faciens comparatus erat iumentis insipientibus, & similis factus illis*, nam hac sola si a cæteris animantibus distantes sumus differentia, vt intelligamus, quod agimus, ea consequenter de medio sublata ijs similes efficiamur, dictat ratio, quæ distinctionalis differentia cum à libera nostra verè procedat, & pendeat voluntate, hinc est, quod voluntariè nosmet homines exhibemus, & volentes verè huiusmodi sumus, quia nostrum etiam essendi, & agendi principium est liberum quoque, ideò, si intelligere, & nosmet actibus intellectiuis homines demonstrare volumus, verè possumus, si minus autem, bestijs nos similes esse demonstramus, à quo vt caueremus nos monitos esse volens Dominus, ait: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 31. nu. 9.* non quod intellectiua re priuemur potentia, vt realiter sunt equi, & muli, sed quia, puram qui retinet intellectiuam potentiam absq; illius vsu, idest actu non intelligentem, sine intellectu rectè dicitur esse, nam cum intellectus ab intelligendo fuerit appellatus, qui non intelligens est, eo rectè carere dicitur, Domino id affirmãte *Mat. c. 15. n. 16.* Hæc tamen hic obiter dicta sint ad hoc tantummodo demonstrandum, quod huiusmodi intellectiua potentia, sicut ex eius libera voluntate ad intelligendum se ipsam mouet, sic ex eius libera intellectionem ex se producit voluntate, propter hoc omnes, scire qui volunt, non impediti scire possunt, *Iob c. 12. nu. 2. c. 13. nu. 1. & 2. Dan. c. 2. nu. 30. Eccl. d. c. 6. nu. 34.*

Ità scita, & intellecta ex eius libera sic, vt supra, retinent voluntate, quorum retentio declarata, vt infra, dicitur memoria. Intellectiuorum ergo omnium agendorum potentia sic, vt supra, ipsa dicitur esse libertas, quæ coniunctim intellectiua, & voluntaria est; voluntaria, & intellectiua: voluntaria quidem, quia, in quam vult, potest inclinare partem: intellectiua autem, quia nequidquam, nisi cum ratione, desiderat, quæ verò aduersus auentur rationem appetitioni potius, quã voluntati ascribenda sunt; Potest ergo se libere ad intelligendum excitare, & non excitare: inceptam intellectionem perficere, & non perficere: perfectam retine-

retinere, & nõ retinere; posteriora tamen secundũ naturã quidem sunt intellectus, priora verò ipsi magis se appetitioni approximari vidẽtur, ideo, ad intelligendum qui se excitare non volunt, similes bestijs se in facto suo effecisse dicuntur, quia sicut illæ natura non valentes non intelligunt, sic isti natura valentes quidem intelligere, & intelligere nolentes non intelligunt, ambo ergo non intelligentes eodem similes efficiuntur facto d. *Psal.* 31.*nu.*9. *Bar. c.* 6. *nu.* 4.

Nam, si omnis homo natura scire desiderat, scire quomodo desiderare posset, si voluntas, cuius partus est ipsum desiderium ad intelligendum desiderio ipsum non excitaret intellectum? nostram propterea nobis exprobrans Deus ignorantiæ culpam. *Psal.* 35. *nu.* 4. ait: *intelligere noluerunt, vt benè agerent*: Si ergo nolentes non intelligimus: è conuerso volentes intelligamus, consequens est:. Etsi peccatum non est peccatum, nisi voluntarium. *Io c.* 9. *num.* 41. quomodo nobis in peccatum ipsa imputaretur ignorantia, nisi voluntaria esset? *Leu. c* 4. *nu.* 2. 3. *c.* 5. *nu.* 15. 17. 18. *&* 19. *Num. c.* 15. *nu.* 27. *&* 28. *Apost. p. ad Tim. c.* 1. *nu.* 13. Ecce ergò, quod principium intellectus ipsa est voluntas, vice sic versa, si voluntatis nostræ ipsa est electio, & electio est optimi, quomodo, quod optimum est, ipsa arbitrando eligeret voluntas, nisi prius iudicatione, quæ ipsius intellectus est partus, quid optimum esset, cognouisset: ecce ergo, quod voluntas, & intellectus: intellectus, & voluntas sunt sibi ininuicem principium volendi, & intelligendi: intelligendi, & volendi, se se ergo mutuò excitantes alter alterius interni vicem subit principij, ac naturalis causæ, quia, vt dictum fuit, vna est tantum voluntaria, & intellectiua: intellectiua, & voluntaria potentia, seu vnius duplex vnita potentiæ virtus. Sic & non aliter est & ipsa memoria, cum mutua sit actualis intellectionis rerum intellectibilium in ipso intellectu, atq; ipsius intellectus in ipsa intellectibilium rerum intellectione perpetua permansio, permãsioq; ipsius sit voluntatis actus, quomodo .n. actu simul permanerent, nisi sic ipsa voluntas permanere voluisset, & vellet *Deut. c.* 4. *num* 23. *c.* 6. *num.* 7. 8. *&* 13. *c.* 11. *num* 18. *&* 26. hinc manifestè patet, quod hæc mutuò, ac in inuicem vndequaq; se se natura complectuntur, complectentia autem, & si inter se se distinguantur, vnum tamen sunt substantia tantum, quæ omnia vno nomine mens appellantur.

De harmonica intellectus nostri consonantia. Cap. II.

INtellectus noster licet substantia verè sit vnus tantum, ac indiuisibilis, mutuis tamen, ac correspectiuis relationibus ab internis resultantibus processionibus ex vna in aliam eius naturali mediante motu ex se ordinatè procedentibus, cognitione quidem inter se distinctis, re autem non separatis, inuicem sed cõnexis, ac mutuò se complectentibus triplex dici potest, quarum ordine prior, sui quæ in se ipsa est & essendi, & agendi potentia, aliarumque principium, & origo, ac quarum respectu ab agendo agens dicitur intellectus, qui circa res, seù quæstiones suo oblatas, vel propositas obiectui per se se ipsum ad intelligendum mouens actus ex se excitat, ac producit intellectiuos, quibus tanquam medijs oblatas sibi, seù propositas examinat, ac ventilat res, quæstionesue, á quibus huiusmodi ventilatione interiectam omnem reijciens nugationis sordem earũ denudatas elicit veritates, quas in proprio substantiæ impressas viscere, tãquam in earum naturali per se subsistenti insitas subiecto retinens, memoriam gignit, sic autem genita eiusdem & ipsa sit, cuius est ille substantiæ, ac vitæ, consequens est, quoniam huiusmodi veritates, quatenus intellectæ in illius ingestæ, ac impressæ viscere in seipso vniuersè animato, & animante, in illo indiuisæ sic illius effectæ animatæ visceris partes, eiusdem, cuius est ille, sint & ipsæ substantiæ, & vitæ, necesse est. Memoriæ ergo si esse est in intellectu, in proprio tanquam, ac naturali subsistenti inesse subiecto, ab eoque naturali, ac propria in se sic esse retenta virtute, eius per consequens substantia mutua sit alterius in altero permansio, necesse est, cuius permansionis forma ipsa cum sit sic mutuó permanentium vnitas, hinc etiam est, quod huiusmodi soluta vnitate, illius tanquam soluta forma, ipsa quoq; veritatum illarum deficiat memoria, consequens sit, quoniam re extra intellectum verè non datur, neque inuenitur memoria, quia propria, & naturalis intellectus substantia, naturalis, ac propria est ipsius memoriæ substantia. Quòusq; ergò mutuò simul permanent, eòusq; memoria durat, illa veró ab intellectu, á proprio tanquam subiecto, in quo veluti imago impressa, & insculpta manebat, abrasa, ac deleta, vel ab ea eius se subtrahente subiecto illa euanescat, consequens est, quia extra subiectum, in quo illa eius subsistentiam, & esse habet, sit, impossibile est, quod tamen intelligendum est respectu veritatum,

ac

ac rerum illarum dumtaxat, quæ ab intellectu se sic, vt supra, auferuntur, vel delentur, non autem quod memoria in totum pereat respectu vniuersorum, quia quòusq; intellectus agit, alicuius rei, vel saltem illius, circa quam de præsenti agit, supersit memoria, oportet, non tamen per hoc asserere intendimus, quod agentis intellectus actus ipsa verè sit memoria, sed quod ferè impossibile sit, vt post huiusmodi actum cognitæ quoq; aliquantisper non perseueret recordatio rei, quæ recordationis perseuerantia ipsi ascribitur memoriæ. Actus enim intellectiuus, quatenus ad ipsam in ordine actualiter formandā consideratur intellectionem, seù intelligentiam, internus est ipsius intellectus discursus inter semet mutuò duorum velut de re sibi ipsis proposita inuicem disputantium in hunc præcisè habitus finem, vt eiusmodi disputationis medio è tenebris ad lumen discussa deducatur res: deducta autem ipsi, prout in ipsa re vera illa extat natura, reuelata maneat intellectui, *Eccles. c. 2. nu. 15. Iob c. 20. nu. 3. Apost. ad Eph. c. 5. nu. 19.*

Nā actus huiusmodi in sui est substātia re vera lumen ab ipso agente excitatum intellectu, quod in oblatam, seù propositam percutere incipiens rem, eam sigillatim eius illustratione detegendo vadit, donec tota plenè illuminata integrè, in ipsa prout re vera extat natura sibi manifesta fiat; manifestata autem, *eius & ipsa lumine fit lumen eius, Apost. ad Eph c. 5. n. 13.* eius ergo quatenus lumine manifestata manet indiuisa re vera illius est pars luminis illuminātis illā, ab eius ideò lumine sic effecta lumē, eius re vera de lumine est lumen eius. Intellectio sic re iam in esse formata, quam & intelligentiam appellamus naturalium est effigies rerum, alioquā nomine illarum dicemus esse veritatem ab intellectu agente per suimet naturalem intelligendi actum in propria in semet ipso conuersa luminis substantia, in quam in proprio ex se in eam repercutiente lumine, & ab ea in se rursus reflectente, velut in speculum ex sui in se ipso irradiatione luminis effictum, & formatum conspiciens se ipsum sic, vt supra, suo ex actu eamdem illuminātem in se veritatem, suo ac lumine eam in sui in se conuertentem luminis lumen conspicit, & videt, eiusmodi autem conspectio, & visio propria, & naturalis ipsius est intellectus vita. Nam sicut viuentis vita, nil aliud est, ipse quam absolutus, & perfectus viuendi actus, quem ipsum viuere appellamus: intellectio sic, seù intelligentia ipsius cum sit absolutus, & perfectus intelligendi actus, quem ipsum intelligere appellamus, ipsius propria, & naturalis sit intellectus vita, consequens est, propterea scriptum est: *Da mihi Domine actu intellectum, & viuam, Psal. 118. nu. 125. 130. & 144.*

Memoria verò earumdem viuentis est veritatum imaginis rerum sic, vt supra, ab intellectu perceptarum, ac in eius conuersarum lumen perennis in illo permansio, earum ab eo dilectione, eiusmodi tãquam permansionis glutino, in sui ipsius infixa, seu conglutinata, & retenta substantia, retentionis, cuius perennitas, & conseruatio eiusdem est intellectiuæ perennitas, & conseruatio vitæ, *Deut. c.6. nu.8. Sap. c.6. nu.12.13. 18. & 19. Ios c.p. nu.7. & 8. Prou. c.4 nu.13.22. c.16 nu.22.*

Verum licet animæ intellectiuæ potentia in se ipsa natura viuens sit, & immortalis, prout est verè, *Sap. c.2 nu.21.22. & 23.* illa tamen cum libera sit, vt iam dictum est, vt ità sit non ex necessitate, sed ex spontanea sua agat voluntate, necesse est, hinc est, quod dilectio, seù illius voluntarium sciendi desiderium, illius quoque sit voluntarium vitæ motus principium, & causa, quo se ipsam videlicet ad agendum voluntariè mouet, *Sap. d.c.6. nu.12.13.18. & 19. Dan. c.9 nu.23.* sic & ipsa dilectio intelligentiæ, intellectiuam quam diximus esse vitam, ipsius quoq; perficiendæ intellectiuæ, ac in esse formali deducẽdæ vitæ est principium, & causa, *Eccl c.6. nu.34.*

Similiter & eiusdem intellectiuæ conseruandæ vitæ dilectio illius est principium, & causa conseruationis, quam conseruationem memoriam appellamus, cuius dilectio re ipsius est dilectio veritatis, quia spirituum, ac spiritualium hypostasis formandæ, ac conseruandæ principium causa, & glutinum ipsa est dilectio, *Deut. c.10. nu.15. Reg. p. c.18. nu.p. Act. Apost. c.4. nu.32. Io. c.17. nu.26. Ose. c.9. nu.10.*

Per huiusmodi tamen ab ijs, quæ in superiori à nobis affirmata fuerunt capite non recedimus, quia ibi de mutua actuali vicium ipsarum partium intellectus permutatione locuti fuimus, quod nempè intellectus ad intelligendũ se volũtariè moueat, ac re ipsa volũtariè intelligat: viceq; versa, quod voluntas ad volendũ se scienter moueat, ac, quidquid vult, re ipsa scienter velit. Hic autem primò egimus, de huiusmodi viciũ permutationis colligatione atq; colligationis principio, & causa, ipsam, quam diximus fuisse, & esse mutuam alterius in altera permansionem, qua velut medio mutuò sic permanentes sibi inuicem proprias per eorum reciprocum contactum, & adhæsionem communicant vices. Secundo verò, quod huiusmodi principium, & causa permansionis ipsa sit inter huiusmodi sic permanentes mutua dilectio, quam spirituum, & spiritualium diximus esse glutinum, quam dilectionem esse debere, similiter dicimus, qualem decet ipsum habere intellectum, scienter videlicet, & voluntariè conceptam, non autem qualem eam dicimus esse af-

fectio-

fectionem naturæ, quà res vna alteram sibi eiusdem affinitate naturæ coniunctam occulta quadam ipsius naturæ vi appetere inscia rapitur, quam sympathiam appellamus, quoniam huiusmodi affectio quatenus talis ab ipso est penitus aliena intellectu, cuius proprium est intellectiuè agere, & intelligere, quod agit. Nam pars vnaquæq; intellectus suam præcipuam licet retineat virtutem, à qua suum proprium sortitur nomen non separatè tamen, seù priuatiuè ab alijs eam re ipsa in ipso possidet esse formali, quia sicut ipsemet intellectus partes in eadem formalitate non sunt inter se ab inuicem substantia diuisæ, sic neq; quas ipse possidêt, ab inuicê possunt esse diuisæ virtutes, quia virtus pars est indiuisa substantiæ illius, cuius illa dicitur esse propria virtus. Propterea sicut mutua sonorum communicatione symphoniarum in organo audimus immutari qualitates, proprium licet singulæ in eo constitutæ retineant fistulæ sonum: mutua sic motuum, ac virtutum ipsarum indiuisarum intellectus communicatione partium harmonicorum concentuum mixta varia in illius formalitatis vnitate suauiter permisceri, ac blandè præcineri mente audimus iucunda cantica, singulæ quamquam illius partes motuum, ac virtutum præcipuam vlla propriæ sine diminutione libertatis retineant integritatem, alioquin, si sibi inuicem priuatis non consentirent, vel obsisterent motibus, & virtutibus non consonans, non harmonica, sed rudis, agrestis, & horrida esset ipsa intellectus nō concors concordia, quarum discretus permutator vicium, harmonicorũq; conciliator concentuum, totiusque dulcis huius rector iucundus cantici ipse est, quem diximus, intellectiuus amor: Sicut ergo in ipsa concentus vnitate sunt sibi viciſſim voces spiritus viuacitatis, dulcedinis, & gratiæ, ipsæ sic partes intellectus sunt sibi viciſſim in ipsa mentis vnitate spiritus vitæ, libertatis, & excellentiæ. In omni igitur agentis intellectus operatione vitæ, sicut harmonicus iste seruatur mentis concentus, vt ille suæ omnes vitæ perpetua sibi comite voluntate, ipsius tanquam operum vitæ animato, & animante spiritu absoluat operationes, in omni sic voluntatis operatione vitæ similis perpetuò seruetur harmonicus concentus, vt illa suæ omnes vitæ perpetuò sibi comite intellectu, seù memoria, ipsius tanquam animato, & animante spiritu, absoluat operationes eadem exigit concordia intellectus, integra vt in se ipsa verè ipsa seruetur substantia mentis, quæ vlla nec astricta necessitate, vlla nec occulta vi rapta naturæ, sed in omnibus, & per omnia in seipsa perpetuò libera liberè semper agat, non per hoc tamen sic agēs in vlla sui ipsius parte est in seipsa disiuncta, vel in aliquo se ipsam impugnat,

gnat, sed puro veritatis, & virtutis amore in se ipsa tota complexa, vel potius se ipsam inuicem totam liberè, & voluntariè complectens ex ipsa veritate propria perpetuò virtute viuit. Nam veritas commune est tam ipsius intellectus, quam voluntatis obiectum, vtriusque ac naturale pabulum, distinctis tamen, re autem non separatis respectibus, prout ipsi distincti, re autem non separati in ipsa inueniuntur intellectus substantia. Nam, quemadmodum corpus à Solis repercussum radijs à tenebris in lucem emergens, ab eius fit oculis nostris illustratione manifestum, factum autem, in eo quidquid est, prout est verè, nostro fit præsens, ac notum conspectui: veritas sic à radijs repercussa intellectus à tenebris in lucem emergens ab illius ei denudata apparens illustratione, prout est illa verè, suo fit præsens, & nota conspectui, ex huiusmodi autem manifestatione veritatis cum illius tam verum, quam bonum clarissimè pateat, eiusq; verum, & bonum licet inter se sint distincta, & cognita, ab inuicem tamen in illius non sint separata substantia, quoniam in ea verum non datur, quod æquè non sit bonum, neq; bonum, quod æquè non sit verum, *Esd. 3. c. 4. nu. 36. & 39.* nam ipse actus veritatis illius est bonum, quod ab ipsa separari non potest, quoniam in ea vnum est substantia tantum, *Prou. c. 12. nu. 17 Bar. c. 4. nu 13. Io. c. 3. num. 21.* prout suo loco latius dicetur. Quatenus ideò veritas ipsius est simpliciter index, & demonstratio veri proprium est potius intellectus, quam voluntatis obiectum, ac illius naturale pabulum, quatenus verò ipsius est simpliciter index, & demonstratio boni proprium est potius voluntatis, quam intellectus obiectum, ac illius naturale pabulum, sicut ergo intellectus veri in ea apparentis placore motus proprij, tanquam alimenti illud confestim haurit, ex eoq; alitur, enutritur, & repletur: repletus autem ex eo perpetuò coniucundatur, condelectatur, & viuit: Boni sic in ea apparentis placore mota voluntas, proprij tanquam alimenti ad illud statim inhiat: inhians haurit: hauriens ex eo alitur, enutritur, ac repletur, repleta ex eo perpetuò coniucundatur, condelectatur, & viuit, quibus circularibus continuis liberis liberæ naturæ motibus ex se, & in se perpetuò euntibus, & redeuntibus, quasi expiratis, & inspiratis noster in se ipso perpetuò spirat, & viuit intellectus, cuius perpetuatio vitæ ab ipsa, vt diximus, pendet mutua intellectus permansione in ipsamet ab eo perceptarum veritate rerum, & veritatis illarum in ipso intellectu, & quod eius permansionis glutinum ipse est intellectiuus amor, eius qui propria dicitur esse virtus, quorum mutua sic simul veritatis amore adhærentium permansio memoria dicitur, ex quibus

bus quid inter ideam, & memoriam intersit ediscere valemus, nam illa rei est imago in agentis intellectu in hunc præconcepta finem, vt sub illius præconceptæ imaginis typo res illa in ipsa realiter producatur, ac formetur rerum natura: Ista verò est imago rei prout est iam in veritate in ipsa rerum producta, & formata natura in ipsa agentis intellectus substantia in hunc impressa, ac retenta finem, vt intellectus in ea tanquam in speculo viuente rei illius in imagine videns veritatem illius, illectus veri specie, ac decoris, & gratiæ venustate, ex ea, proprio tanquam obiecto, ac naturali pabulo enutritus perpetuò viuat: boni sic illius illecta placore voluntas, ex eo similiter, proprio tanquam obiecto, ac naturali pabulo enutrita perpetuò viuat. Ita vt sicut intellectus ab ipsa animatus voluntate, ex à se sponte, ac liberè percepta veritate perpetuo viuit, sic viuens in eiusdem à se perceptæ imagine veritatis ipsam ad agendum animat voluntatem: voluntas sic ab intellectu in imagine animata veritatis, secundum intellectus illius operatur veritatem; sic operans ad ipsius à Deo operatæ similitudinem operetur veritatis; operans autem ab optimi diuinorum operum ab eo spontè facta electione præexcellenter viuit, viuens autem subiectis sibi omnibus dicitur dominari animantibus, prout, vt ijs dominaretur, à Deo creata fuit, vt suo loco dicetur. Vniuersa autem prænarrata huiusmodi viuentis intellectus essentia, vnico hoc nomine mens appellatur. *Eccl. c. 15. nu. 18. & 15. c. 14. nu. 23. & seqq. ac nu. 21. c. 31. nu. 10. c. 33. nu. 23. Sap. c. 9. nu. 2. & 3.*

In se ipsa ergo cum huiusmodi sit nostræ essentia mentis, & hanc pro forma nostræ in hoc nobis dederit Deus humanitatis, vt illa ad suæ similitudinem in nobis operante imaginis voluntaria, & libera, prout in se ipsa est verè, esset nobis viuendi, & operandi forma, vt per eam sic, vt supra, liberè, & voluntariè in nobis operantem liberi, & voluntarij, quales nos voluit esse Deus, essemus homines, quod cum ita sit, prout est verè, huiusmodi vt simus, secundū eam viuamus, & operemur, oportet, nam vt forma nostra in nostræ nos actualiter constituat speciei esse formale, suæ in nobis excitet actum vitæ, necesse est, quia viuentis formalitas ipsa est actualis ipsius exsuscitatio, & exercitatio vitæ, quam si in nobis non exsuscitet, & exerceat, neq; nos etiam secundum eam formaliter viuere dicimur, quia formaliter viuere, & non formaliter viuere sunt sibi exaduerso contraria, se seq; vicissim oppugnant, & inuicem tollunt, *Eccl. c. 33. nu. 15. Io. c. 5. nu. 24. c. 14. nu. 19.*

Nam, si humanitatis nostræ perfectio ipsa est integra, & absoluta for-

formalitatis humanitatis nostræ assecutio, quam ab ipso actu formæ actualiter assequimur humanę naturę nostrę eo, quia ille verè integrum & absolutum nostro dat esse formale formato, cum nil aliud sit ipsa formalitas, quam ipsius eductio, & exsuscitatio actus à propria potentia, ipse per consequens actus potentiæ ipsius erit perfecta absolutio formati, quoniam ei completè absolutum dat esse formale. Vbicumq; igitur ipse absfuerit potentiæ actus, ibi formalitas absit, consequens est, absente autem formalitate nil re formatum, nil perfectum in suo potest dici esse formali.

Nos igitur, cum per intellectum homines verè simus, & ipsa ratione, quæ rectus est intellectus actus, quia tanquam differentia a brutis specie dirimamur. *Iob c.* 12. *nu.* 2. *&* 3. *Psal.* 48. *nu.* 13. *&* 21. si solum sine actu daremus nos habere intellectum, nostra non posset humana species à cæteris distingui animantibus differentia, non distincta autem, vel confusa, vel saltem omninò incognita maneret, *d. Psal.* 48. *num.* 13. *&* 21. *Psal.* 31. *nu.* 9. *Iud. sua vnica nu.* 19. *Pet.* 2. *c.* 2. *num.* 12. quia sicut potentiæ actus formalitatis, atq; absolutionis formati est complementum perfectum illius, sic est index verum, *Mat. c.* 7. *nu.* 17. *&* 18. *Luc. c.* 6. *nu.* 43. *Iac. c.* 3. *nu.* 12. *Prou. c.* 20. *nu.* 11. Idcircò, si intellectum sine actu intelligendi imaginaremus sicut ille formaliter non esset intellectus: nos sic, in quibus illum pro forma esse diceremus, in proprium speciei nostræ non constitueret esse formale, quia in illo sine actu formæ, vt dictum fuit, nequidquam perfectum, nequidquam informatum esse potest, alterius nec forma esse valet, qui in se ipso sua forma caret, alteri nec opitulari valet, qui sibi adiumento esse non potest, prætereà sicut actus sine potentia dari non potest, sic in esse formali potentia sine actu esse ipsi contradicit formalitati, quia in ipsa ista duo vnum sunt substantia tantum, substantiaq; omnis natura est indiuisibilis, sicut ergo ab intellectu, vt intellectus sit neutrum absit, oportet, neutrum sic a nobis, veri vt homines simus, absit, oportet, quia solo intellectu verè homines sumus. *Iob d. c.* 12. *nu.* 2. *Psal.* 118. *nu.* 144. *d. Psal.* 31. *nu.* 9. intelligendi ergo qui non exercet actum, ipsum formaliter non habet intellectum, quia ad formalitatem ipsius intellectus ipse est necessarius intelligendi actus: propterea Dominus noster Iesus Christus, *Mat. c.* 15. *nu.* 16. discipulis suis suos actu non intelligentibus sermones dixit: *Vos adhuc sine intellectu estis*, neq; huiusmodi solum intelligendi actum, qui intelligentia dicitur, habeat oportet, sed etiam eam conseruet, cuius conseruatio memoria appellatur, ad hoc vt in imagine in ea impressa veritatis, &

intel-

intellectus veri, & voluntas boni placore illecti, & moti ex ea in semet ipsis viuant, viuentes autem propria eorum vita vitam homini inspirarent, ac tanquam illius recta forma rectam illi suppeditarent vitam ad hoc, vt in ipsis eam illi sic dantibus ipse viueret homo, viuens verus esset homo, quia non corpus hoc sensibile, quod digito demonstrari potest, sed mens cuiusq; eaest verè homo quisque: Nam, si spiritus intellectiuus, quem mentem appellari diximus, in hominis faciem à Deo, eius tanquam ab eo præparata suppositi forma, nobis verè nostri, prout verè fuit, extitit essendi, & agendi principium, & forma. *Gen. c. 2. nu. 7. Sap. c. 15. nu. 11. Apost. p. ad Cor. c. 2. n. 11. Macrob. de somno Scip. in princi.* nostri etiam se nobis vti nostra communicans forma, & suæ quæ sunt essentiæ communicauerit omnia, consequens est, quia in se ipsa nulla verè diuisa, vel disiuncta, sed continua, & solida est omnis substantia.

Verum, vt hæc omnia distinctè, ac plenè manifesta fiant, ac fieri valeant, non nullas prius diluamus difficultates, quæ ex apparenti quadam necessitate in ipsa oriri videntur supposita mentis formalitate, quę exaduerso contraria esse videntur, quę nempè de eius absolutissima asseruimus libertate.

De intellectus, memoriæ, & voluntatis, ac totius simul mentis esse formali. Cap. III.

ETsi superius dixerimus, quod intellectus, memoriæ, & voluntatis nostræ motus sint viciſsim voluntarij, & intellectiui: intellectiui, & voluntarij, in esse tamē formali, cum actus, & potentia vnum sint substantia tantum, substantiaq; omnis ipsa vnum sit indiuisibile natura; postquam harum quælibet, vel omnes simul in sua fuerint formalitate actu constitutæ, quin ita existant, efficere non possumus, etsi ergo intellectus noster sua natiua libertate ad intelligendum, vel non intelligendum pro libito suo se mouere valeat, postquam tamen actu iam intelligit, quin intelligat, efficere non potest, quia huiusmodi est natura, & essentia formalitatis suæ, à qua aberrare non potest, quia ipsam esset destruere naturam, & essentiam formalitatis suæ, quod .n. quid simul, & semel formaliter sit, & non formaliter sit, impoſsibile est, quoniam hæc sunt sibi exaduerso contraria, quæ inuicem se se perpetuò oppugnant, & inuicem tollunt. Etsi ergo actus potentiarum, seù facultatum, ex quibus nostrum quisq; constat, ex libera

sua valeat arbitrij libertate ad libitum suum ijs præessendo moderari, ijs tamen non impeditis,cum obiectus,ex quibus illæ viuunt, actu repræsentantur, eos quin deglutiant, efficere minime possunt, quia non viuant, cum vitam hauriunt, fieri non potest, verbi gratia naribus si nostris aliquod admoueatur odoramentum, illius quin statim odorem,huius tanquam proprium sensus obiectum,sentiant, efficere minimè possumus, propter hoc tamē nostra in nullo læsa manet arbitrij libertas, quia in hoc à Deo sensus iste creatus fuit, talis eius vt esset actus vitæ, & in esse formali, quæ in ipsa existūt natura, ab arbitrio nostro licet libero immutari minimè possunt,quoniā destruere nō potest homo,quod Deus ipse fecit: Similiter & oculus visibilis obiecti à mundanæ lucis diaphano illuminati sibi oblati non potest non videre speciem, auris non audire sonum, manus palpatæ rei non percipere qualitatem,lingua gustati cibi non percipere saporem: Sic etiam, & non aliter euenit menti nostræ in actibus formalitatis suæ, nam licet anima nostra intellectiua absolutam habeat libertatem faciendi, quod sibi videtur: intellectui tamen nostro si denudata, idest à diaphano intellectiuæ illuminata lucis, aliqua afferatur veritas, quin eam capiat, sibique nota fiat, facere minime potest, quoniam huiusmodi capessendæ, & intelligendæ veritatis actus propriæ suæ est sibi naturalis actus vitæ:immò vita met ipsa,quam viuendo á se abijcere non potest, alias a se ipso viuēs abesse posset, quod est impossibile. Nam à Deo in hoc creatus est intellectus, vt actu intelligēdo formaliter extaret,in suo ergo esse formali sicut nō potest non intelligens esse, oblatam sic sibi non potest non percipere veritatem, alias,si in ipso intelligendi actu, actu non intelligere posset, verè non intellectus esset, Domino nostro, *Mat. d. c. 15. nu. 16.* vt supra, discipulis suis actu non intelligentibus, dicente: *Vos adhuc sinè intellectu estis,* quia actu non intelligentes intellectus formalitate carebant, qua carentes: sine ipso esse dicebantur, quia formalitas est illa, quæ suo perfectum dat esse formato, nam etsi actus, & potentia in ipsa formalitate cogitatione distinguantur, ab inuicem tamen re separari minimè possunt, quia vnum formaliter sunt substantia tantū, alias in natura posset dari viuens, quod actu non viueret, quod impossibile esset, vt superius dictum fuit.

Formalitate ergò ille constare dici non potest intellectus, qui ipso non intelligit actu: memoria, quæ non memoretur: voluntas, quæ nec velit, nec nolit, quia *potentia sine actu velut mortua iacet, Iac. c. 2. nu. 20. 21. & 26. Mat. c. 5. nu. 13. Mar. c. 9. nu. 49. Luc. c. 14. num. 34.* quæ autem

de in-

de intellectu superius affirmata fuerunt, etiam de memoria, & voluntate fuerint affirmata, censenda sunt, nam, quod, dum memorandæ res nostro actu adhęrent intellectui, & mutuò in sese permanent, idest cum ipsas formaliter memoramur, earum memoriam non habeamus: & similiter, dum veri boni, vel mali re cogniti obiectum nostra formaliter appręhenderit voluntas, quod actu id verè non appręhenderit, vtiq; fieri non potest, quia actus sunt sibi in inuicem exaduerso contrarij, qui simul eodem tempore esse non possunt, & essent destructiui eorum propriæ formalitatis, à cuius destructione natura, virtus, & essentia dictarum facultatum reluctat, quoniam, vt sit, & viuat, nititur omne viuens, tanta est enim intellectus nostri naturalis propensio ad capessendam veritatem, & illius appræhendendæ naturale desiderium, vt illius manifestatione, & præsentia quin eam hauriat, & intra se recipiat, & eam sibi vniat, & mutua alterius in altero permansione ipsa formetur memoria, fieri non possit, quoniam ipsius est illa pabulum, ex quo ille perpetuò se ipsum alit, enutrit, replet, & viuit, & ipsius est vita verè, ei ideo nil dulcius esse potest, quoniam viuenti nil dulcius esse potest, ipsā quam viuere vitam, ad quam viuendam creatus est. Veritas ergo est principium, propter quod ipse mouetur intellectus, nam ad agendum se ipsum mouet, vt exquirat veritatem, quam si non exquireret, iram Dei hæreditaret, quia in hoc creatus fuit, vt illam exquireret, quoniam eam exquirens ipsum exquirit Deum, *quoniam Deus est veritas, quæ exquirenti se seipsam non negat.* *Eccl. c.39. nu.28. c. 2. nu. 13. c.15. nu. 8. c.24. nu.25. Io. c.8. nu.31. 40. 46. c.14. nu.6. Apost. 2. ad Tim. c.2. nu. 13. Psal. 13. nu.2.* veritas ergò est obiectum, & finis ipsius intellectus, quoniam propter illam ad agendum mouetur, & in ipsam suaptę natura tendit, & in ipsa tandem assecuta suauiter conquiescit, & ea delectatur, quid enim viuens magis quærit, quam vt viuat? in quo magis conquiescit, & delectatur, quam in ipsa iucunditate vitæ?

Ex ipsius autem inspectione veritatis cum ea quoq; quæ bona sunt, manifesta fiant, & bonum ipsius sit volūtatis principium, motus, & quietis, cum illius sit obiectum, & finis, propter quod illa ad volendum mouetur, & in quem suapte natura fertur, in hoc enim voluntas ad volendum se mouet, vt bonis, quæ ei placent, potiatur, potitis fruatur, & delectetur, quoniam illius sunt illa pabulum, ex quo perpetuò alitur, enutritur, condelectatur & viuit, quid ergo nostra magis quærit voluntas, quam vt summum inueniat bonum, & in illius perpetua iucunditate cōquiescat, & gaudeat, quia illius perpetua perfruitio perēnis, & perfectę

 suæ

suæ est perfruitio vitæ: quid enim viuens magis quærit, quam iucundè viuere? In quo magis conquiescit, quam in ipsa perenni iucunditate vitæ? quia, vt dictum fuit, viuenti nil dulcius esse potest, quam perenni viuere iucunditate vitæ, & si ergo infallibili naturæ ductu summum voluntas exquirat bonum, in quo eius summa residet felicitas, illud tamen nō coactè, sed libens illa quærit, ex huiusmodi enim à Deo fuit illa constituta natura, & quin huiusmodi sit efficere nullo modo potest, quia voluntas, etsi in eam, quam voluerit, valeat inclinare partem, non potest tamen non esse voluntas, & consequenter, quod bonum sibi oblatum, sibi non placeat, sibi autem placens non coacta, sed libens percipiat, quoniam in ipsa illud percipit veritate, in qua est vera libertas, *Prou.c.19.nu.8. Sap.c.7.nu.27 28.c.8.nu.6.& c.9. nu.19. Eccl.c.17.n.6.& 7. Esd. 3.c.4.nu.38. Ier.c.4.nu.2. Bar. c.4. nu.13.14. Io.c.8.nu.32. iuncto c.14.nu.6. Apost.ad Gal.c.4.nu.31.*

De humano carnis, & mentis composito, & de eiusdem carnis potentia, principio, & qualitatibus. Cap. IV.

HVmana essentia nostra ex duabus est constituta substantijs in vnam tantum hypostasis euecta vnitatem, ex mentis videlicet, & carnis composito, quarum altera est merè spiritualis, altera verò merè terrena, & animalis. *Gen.c.2.nu.7.c.3. nu. 19. c.6. nu.3. Psal.77. nu.39. Eccles.c.3. nu.20. & 21.c. 12.nu.7.* Quarum prior, quam animam appellamus rationalem, ad hanc formandā interuenit vnitatem, tanquam forma, alia verò tāquam materia. Forma autem cum sit illa, quæ ipsi dat esse formale formato, illa etiam, quemadmodùm in se ipsa est vna, & indiuisibilis ab omni alia forma distincta, & separata, suo sic det formato esse vnum indiuisibile ab omni alio formato distinctum, & separatum, decet, & conuenit: materia verò, cum in se ipsa sit merè passiua non se ipsam informat, neq; viuificat, vt re debeat naturales actus edere, & vitam viuere formalitatis formæ, atq; naturæ suæ, sed à præfata informatur, & viuificatur forma, vt eiusdem actus edat, vitamq; viuat formalitatis se informantis formæ, quia omnes formati actus, & vita ab ipsa procedant, oportet, informante forma: nam si posset dari casus, quod humana caro nostra ab alicuius priuata speciei suæ forma in illius propriam eueheretur formalitatem, nostra vtique caro, siue mens nostra vellet, siue nollet, semper

actus

actus, & vitam animantis illius, à cuius speciei esset informata forma, ederet, & viueret: cuius contrarium in nobis manifestissimè conspicitur, in quibus mens nostra, nostræ tanquam vnitatis forma potest, si vult, nostræ passiones, & actus cohibere carnis, & illi dominari, eamq; sub rectæ continere rationis forma, & rectè, vt agat, efficere. *Gen. c. 4. nu. 7. Eccl. c. 9. nu. 11. c. 18. nu. 31. c. 33. nu. 23. Apost. 1. ad Cor. c. 9. nu. 27. ad Colos. c. 3. nu. 5. Io. c. 6. nu. 64.* non enim in dicta à Deo sic, vt supra, colligatæ fuerunt vnitate, vt caro menti, sed, vt mens, tanquam forma informans, & animans carni, tanquam materiæ à se informatæ, & animatæ præesset, & veluti natura superior re ipsa dominaretur illi: Moyses propterea de hac loquens humana constructione, *Gen. c. 2. nu. 7.* sic ait: ***Formauit igitur Dominus Deus hominem*** (corporeum, videlicet, illud, quod oculis videri, digitoq; potest demonstrari figmentum) *ex limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ,* (quod ipsa fuit anima rationalis) *& statim factus est homo in animam viuentem*, ex quibus liquidissimè patet, quod anima rationalis a Deo in faciem luteæ illius inspirata structuræ propria fuit formati illius forma, quoniam illi re hominem esse dedit, quod efficere *proprium est formæ l. Iulianus, §. si quis, ff. ad exhib. l. si is, §. quædam, ff. ad l. falc.* non ergo caro, quam cum cæteris communem habemus animantibus est illa verè, quæ nos homines esse facit, sed anima rationalis, à qua hoc nostrum humanum informatur formatum, quod ab ethnicis etiam fuit cognitum, vt superius dictum fuit ex *Macrob. de Somn. Scip.* introducente Africanum sic alloquentem: *Is non est homo, quem hæc, quæ digito potest demonstrari figura, nostra,* videlicet, *hæc carnalis tunica, Iud. sua vnica, nu. 23. sed mens cuiusque ea est homo quisque,* quod ab *Apost. quoq; 2. ad Cor. c. 12. nu. 2. & 3.* in spiritu Dei manifestatum fuit, asserente: *Hominem se scire ad tertium vsque raptum fuisse cælum, nescire autem, an ille ibi re in corpore, vel extra corpus extiterit:* ergo homo ille non corpus illud erat, in quo, vel extra quod illuc raptus fuerat, sed spiritus ille, qui in corpore illo, vel morabatur, vel ab eo illuc extaticus translatus fuerat. Volens propterea Deus huius nostri nobis arcanum pandere compositi, *Gen. d. c. 4. nu. 7.* irato Cain sic ait: *Quare iratus es? cur concidit facies tua? nonne si benè egeris recipies, sin autem malè statim in foribus aderit peccatum tuum?* post hæc autem ad rem nostram ita subiungens ait: *sed sub te erit appetitus eius* (si eius: consequenter non Cain, sed sensibilis animalitatis, & carnis ipsi inhærentis Cain huiusmodi erat appetitus:) propterea non tuus, sed eius dixit, vt cognosceremus, quod caro, qua circundati sumus, est quid à nobis di-
stin-

ſtinctum, licet non re ſeparatum, & quod appetitus eius, à noſtro longè diſtat, quia ille purè ſenſibilis, noſter verò rationalis, & intellectiuus, immò non propriè appetitus, ſed veri, & cogniti libera, ac voluntaria dilectio boni, à qua internũ noſtri recipimus agendi principium: quod & rurſus dilucidius, ac manifeſtius declarans ait: *Et tù dominaberis illius*: illi ergo ſi facto dominari poterat, per conſequens etiam ipſe Cain in ſuperiori vitæ gradu ſuæ conſtitutus carni, & animalitati, ei dominari potens erat, eius omnes cohibendo affectus, & paſſiones, quia ipſe, ſicut & nos omnes ſumus quid à carne noſtra, licet non re ſeparatum, natura tamen diſtinctum. Humana tamen eſſentia noſtra etſi ex duabus his conſtet ſubſtantijs, illæ tamen cum in vnam tantum fuerint translatæ vnitatem, iam non duo amplius, ſed vnum tantum formatum homo appellatum, dicenda ſunt, & ſunt verè, vt omnes ſacræ teſtificantur litteræ, & ſancti viri, & in ſpecie *B. Athanaſius in ſuo fidei ſym. verſ.* 35. Verum, etſi re vera præfata eſſentia vna ſit tantum, illa tamen, cum ex duabus re ſit conflata ſubſtantijs tanquam partibus dictam componentibus, & integrantibus compoſiti vnitatem, non ſolum inter ſe diſtinctis, & cognitis, ſed & penitus diuerſis, ac naturalibus ſuis ſe ſe perpetuò adinuicē aduerſantibus, & oppugnantibus contrarijs actibus: in eaq; ſic in inuicem ſimul coniunctæ, & vnitæ nulla omninò confundantur comiſtione, vel ab eorum proprijs immutentur eſſendi, & agendi principijs, naturis, qualitatibuſque, quæ, & quas vnaquæq; ſecundum naturam ſui generis de per ſe ab ipſa ſubſtantialiter fuiſſet conſecuta natura, quæ, & quas retinens, ijſdem quoq; ſuis valeat moueri, ac etiam re ipſa moueatur priuata potentia, principio, & motibus, à quibus mota, ac ſe mouens, priuatos quoq; ſuos, ac naturales valeat producere actus, alias quæ, & qualis in ipſa eſse dicitur vnitate natura, re vera non eſſet, dici nec poſset, aduerſus veracem, ac infallibilem Domini noſtri Ieſu Chriſti atteſtationem, *Io. c. 3. num. 6.* dicentis: *Quod ex carne natum eſt, caro eſt verè, quod vero ex ſpiritu eſt, eſt ſpiritus*.

Caro verò, vt verè caro ſit, ſenſitiua, appetitiua, & adfectiua conſtet potentia, neceſſe eſt, alias non caro, ſed alia eſſet ſubſtantia, iuxta potentiã naturaliter in ſe ingenitã, & manentem, huiuſmodi ſimiliter potentia, ſi ſibi connaturales, ex ſe naturaliter nõ poſſet producere actus pro ſenſitiuæ, appetitiuæ, & adfectiuæ non poſſet cognoſci potentia ſubſtantiæ, quia ex actuum qualitate ipſa nobis innoteſcit qualitas potentiæ, quos ſi intra ſe potentialiter non foueret, illos vtiq; naturaliter ex ſe producere, & emittere non poſſet: nõ educens in ſuam, nec etiam

ſe

se posset euehere formalitatem, quia illa nil aliud est, quam ipsa actuum eductio a propria, & naturali potentia, quibus non eductis, nec formaliter esse, nec agere, nec viuere, nec operari posset, hæc facere nō valens tam ex defectu potentiæ, quam actus, quid illa esset vtiq; cognosci non posset, quia sicut actus sine potentia illum producente, sic & agens potentia sine actu, quem producere dicitur, dari non potest, quia sine illo mortua iacere dicitur, & mortua est verè, *Mat. c. 7. num. 16. & 18. c. 12. nu. 33. Luc. c. 6. nu. 43. & 44. Iac. c. 2. nu. 17. & 26.* Quod verò potentiæ, & principia vtriusq; ex dictis componentibus partibus, & maximè carnis, in qua tanquam materia prædicta minus videntur inesse debere, re vna cum ipsorum naturalibus facultatibus, & motibus in homine insint, vtiq; negari non potest, nec debet, quoniam & sensu, & experientia patet, & manifestissimis rationibus, & auctoritatibus comprobari potest: nam homo velit nolit (nisi diuina ab ijs eximatur gratia) carnalibus ferè semper, dum viuit, agitatur motibus, cui accedit ipsius *Apostoli testimonium 2. ad Cor. c. 12. nu. 7. 8. & 9.* dicentis: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Pugna enim carnis aduersus animam nostram rationalem a Deo permissa fuit, vt in huiusmodi cōflictatione, tāquam infirmitate se lacessente, & oppugnante ipsius semper magis perficeretur virtus ad hoc, *vt incoinquinatorum aduersus carnem certaminum præmium,* propria virtute *vincens gloria coronata triumpharet. Iob. c. 7. nu. 1. Sap. cap. 4. nu. 2. c. 3. nu. 1. & seq vsq; ad 9. c. 5. nu. 4. 5. & 17. Eccl. c. 31. nu. 10.* quoniam non decet, *quod miles coronetur prius, quam legitimè certauerit, certamenq; vicerit Apost. 2. ad Tim. c. 2. nu. 5. & 10. c. 4. nu. 7. P. ad Cor c. 9. nu. 25. & 27. Apoc. c. 1. nu. 7. c. 2. nu 7. 10. 11. 17. 22. 26. & 27. c. 3. nu. 5. 12. 21. c. 21. nu 7. & 27. c. 22. nu. 12.*

Nostræ autem mentis, seù animæ rationalis virtus in huiusmodi dicitur perfici contradictione, & oppugnatione carnis, quia prudentia militantium, quæ eorum præcipua dicitur esse virtus, vsu & consuetudine belli rectè aduersus hostes gerendi comparatur, mentis propterea prudentia homini dicitur esse vita, carnis verò ei aduersantis prudentia dicto homini dicitur esse mors, quia sicut homo, vt iam dictum fuit, verè non est hoc carnis nostræ extrinsecum, quod digito potest demonstrari figmentum, sed mens cuiusq; verè est homo quisque, sic huius mentis actus recta cum ratione, & prudentia editi propria sunt hominis vita, actus verò a carnis petulantia editi, & consummati homini, qui

ex

ex præſcripto rationis viuere debet, ſunt peccata, & peccata mors.

Hominem enim fecit Deus ex duarum harum ſubſtantiarum ſic ſibi ininuicem aduerſantium, & contra ſe pugnantium compoſito, non vt caro mentem in hac ſuperaret pugna, ſuperans ei ſupereſſet, & dominaretur illi, quoniam in natura adeò turpe, & indecorum eſt, quod ſubſtantia inferioris gradus ſuperſit, & dominetur ſubſtantiæ ſuperioris gradus, ſed vt mens verè tanquam ſupereminentioris naturæ, & præexcellentioris formæ carni ſupereſſet, & dominaretur illi omnes eius paſſiones ſub iugo cohibendo rationis, & eius nequiſſimos ſupprimendo actus, quoniam, vt dictum eſt, illi ſunt peccata, & peccata mors. *Apoſt. ad Rom. c. 8. nu. 5. 6. 7. 8. & 13. c. 7. nu. 23. & 25. Eccl. c. 17. nu. 30. c. 31. nu. 10. c. 33. nu. 23. Gen. c. 4. nu. 7. Iac. c. 1. nu. 14. & 15. Prou. c. 2. nu. 3. & 11. c. 3. nu. 13. 22. & 23. c. 4. nu. 26. c. 7. nu. 4. c. 9. nu. 6.* humanæ nec militiæ arma decet ſint carnalia, ſed ſpiritualia, *Apoſt. 2. ad Cor. c. 10. num. 4.* Si ergo vnaquæq; dictarum ſubſtantiarum, vt re talis ſit, qualis eſſe dicitur, ex proprijs, & priuatis ſuis conſtet, oportet, principijs, ab ipſis quoq; tanquam naturalibus fontibus actus, qui, & quales, quæ, & qualia dicta earum ſunt principia, & potentiæ emergere queant, conuenit, quoniam earumdem ſunt potentiarum, & principiorum naturales proceſſiones, ex quarum actuali emerſione prædictarum ſubſtãtiarum poſteà effluunt formalitates, huiuſmodi conſequenter ſubſtantiæ, ſicut, vt ita ſint, ab ipſis recipiunt potentijs, & principijs, ſic, vt ita agant, ab ipſis quoq; recipiunt, & habent, propterea illarum dicuntur eſſendi, & agendi eſſe principia, quia hæc illis vtrumq; præbent, illæ verò viceuerſa ab his vtrumq; recipiunt, & habent, & quod iſta in ipſa non ita ſint natura, impoſſibile eſt, quia huiuſmodi facultates, & leges eis à Deo impoſitæ fuerunt ab exordio creationis illarum, & vſq; in finem ſæculi duraturæ ſunt, quia ſic Deo placuit, & placet, *Mat. dd. c. 7. nu. 18. c. 12. nu. 33. Luc. c. 6. nu. 43. & 44. Iac. c. 3. nu. 12. Ier. c. 31. nu. 36. c. 33. nu. 20.*

Quibus ſtantibus, prout ſtant verè, & ſpiritus intellectiuus, ſeù anima rationalis in ſua propria non habet à Deo ingenitum ſubſtantiam internum illud ſenſibile eſſendi, & agendi principium, nequè animata instrumenta illa, per quæ, tanquam media ipſa hauriuntur ſenſibilia, ſenſoria nuncupata, oculos nempe carnales, quorum medio ſenſibilia videt, & eorum aſpectu ſenſualiter delectatur: os, linguam, & palatum vt guſtet: nares, vt odoret: aures, vt audiat: oſſa, neruos, & carnem, vt palpet, quia iſta in ipſorum propria ſenſibili ingenita reſident ſub-

ſtantia,

ſtantia, *Io. d. c. 3. nu. 6. Luc. c. 24. nu. 39. & 40. & ſeqq.* huiuſmodi conſequenter operationes, quatenus merè ſenſibiles, nō ab interno, & proprio intellectiui ſpiritus eſſendi, & agendi principio, neq; ab ipſa intellectus ſubſtantia ſunt verè, ſed à ſenſitiua potentia, eorum tanquam priuato, & proprio ſenſibili eſſendi, & agendi principio, ab ipſaq; ſenſibili eius carnea ſubſtantia, *Eccl. c. 23. nu. 6. Apoſt. ad Rom. d. c. 8. nu. 6. & 7.* Puri ſic actus intellectiui, cum ſint ſupra ſenſum, & conſequenter penitus extra ipſam ſenſibilem potentiam, & principium, & ſubſtantiam, non etiam ab ipſis, ſed ab interno intellectus principio, & ab eius ſubſtantia, tanquam eorum proprijs, & priuatis fontibus procedāt, & pendeant, neceſſe eſt. His neq; obſtat, vt ſuperius dictum fuit, quod iſte ſpiritus intellectiuus tanquam forma noſtram informet, & viuificet carneam ſubſtantiam, quia per illius informationem, & viuificationem præfatam re non immutat, immutare nec poteſt ſubſtantiam carnis, neq; ea peruertere principia, ex quibus caro, vt caro ſit, re cōſtet, oportet, quia illucuſq; non peruenit potētia formæ dicti ſpiritus, vt eas, quas ſua omnipotenti potentia, admirabili ſapientia, ineffabili amore condidit Deus, poſſit rerum mutare ſubſtantias, variare genera, atq; peruertere formas, id neq; deceret, quoniam nec ipſe Deus, quod fecit, infirmat, *Eccl. c. 47. nu. 24. Eccleſ. c. 3. nu. 14. Deut. c. 2. nu. 5.* Neq; ipſe ſpiritus in compoſito humano diceretur viuificare carnem, neq; homo ea conſtare verè, niſi illa in propria ſubſtantia maneret in ipſo, ijſdem conſtans principijs, quibus, vt caro ſit, conſtet oportet, *Gen. c. 6. nu. 3. Pſal. 77. nu. 39. Eccl. c. 40. nu. 8. Io. d. c. 3. nu. 6. Apoſt. ad Rom. c. 6. nu. 19. d. c. 8. nu. 5. 6. & 7.*

Neq; caro ſic à ſpiritu viuificata poſſet ſpiritus induere naturam, neque, quæ illius ſunt, percipere, quoniā illorum omniū eſt incapax, vt ex iam dictis, & allegatis apparet, & inferius dicendis ſemper magis apparebit. Quæ autem, & qualia ipſius ſint principia, motus, & actus mentis, quatenus ad præſentem attinet tractatum, in præcedentibus capitibus iam dictum fuit: quæ autem, & qualia carnis, breuiter dicetur, quātum ipſa neceſſitas requiret, quia de ijs abundè in tertia noſtra quæſtione actum fuit, ideò ad eam, quoties occaſio ſuaderet, habeatur relatio. In omni igitur carne, & conſequenter etiam in carne humani noſtri corporis interna à natura ingenita ineſt vis, & potentia venerearum appetitiua voluptatum, tanquam internum eius tum eſſendi, tum agendi, ac in eadem ſe conſeruandi natura principium, ſine qua, ſeù quo ipſa nec caro eſſe, nec ea, quæ carnis ſunt, appetere, & agere, neq;

per successiua à se genita indiuidua in eadem se posset conseruare natura: quæ potentia, & vis, etsi non proprio, respectiuo tamen vocatur nomine carnis voluntas, quasi ea, quæ suæ sunt naturæ in ipsius viribus appetens, & requirens naturæ, quod ipsamet vult natura, & ipsa velit, & appetat, quæ alijs proprioribus nominibus carnis dicitur appetitio, concupiscentia, & stimulus, eo quia præfatas appetat, & concupiscat voluptates, & ad eas capessendas, & degustandas interna stimuletur cupidine, stimulata, dum ab ipsa non prohibeatur prudentia mentis, eas etiam capessat, & actu degustet: degustans ijs tanquam summa sua perfruatur felicitate, *Iac.c. 1. nu. 14. & 15. Apost. ad Eph. c. 2. nu. 3. 2. ad Cor. c. 12. nu. 7. ad Rom. c. 7. nu. 23. & 25. c. 8. num. 13. ad Gal. c. 5. nu. 16. &* 17. ex necessario autem antecedenti in hac eadem vi, & potentia carnis à natura sensibilis ingenita fuerit, oportet, notio earumdem carnis voluptatum, bonorumq; eius omnium sic, vt supra, appetendorum, atq; ipsorummet obiectorum, ex quibus illa educi, & hauriri queunt, nam, si illa nulla omninò perciperet, percipereq; posset cognitione, non solum eius inutilis, & frustratoria redderetur appetitio, sed & prædictorum omnis eius indagatio, ac omnes ex ea omninò qui possent effluere actus, quomodo enim ea, quæ carni placent, ac sunt bona facto appeteret, indagaret, & potiri affectaret, si quæ ista essent appetenda, indaganda, & actu obtinenda bona illi omninò ignota essent? necesse est ergo, vt huiusmodi appetitiua virtus naturalem in se præfatorum omnium notionem habeat, ea vt appetere, indagare, & facto capessere valeat, quia ad penitus ignota nulla inhiat appetitio, illi ideò si hæc omninò ignota manerent, illa etiam immobilis, atq; immota maneret, manens, tanquam mortua iaceret, iacens foret, tãquam non esset. Hæc autem notio, etsi improprio vocabulo ad mentis forsan æmulationem sapiẽtia dicitur carnis, quia ea quæ carnis sunt, sapit, ac sensibili solertissimè percipit notione, nam quatenus talis acrior, ac sollicitior esse nulla potest, vt ex ijs, quæ ipsi contigerunt Lot *Gen. c. 19. nu. 31. & seqq.* manifestè depræhendi potest. Hæc autem carnis sapientia cum ea tantùmodo, quæ ipsius sunt carnis, & mundi, & in mundo sunt, sapiat, sapereq; valeat, quoniam, quæ supra suam sunt naturam, atq; limites speciei suæ, intra quos à Deo constituta fuit, scire, & supra eos, & eam transcendere non valeat, ideò ea, nostræ humanæ quę sunt mentis, vel Dei, noscat, & operetur impossibile est, alias, quæ, & qualis re ipsa est, non esset, sed alterius superioris speciei, quod similiter impossibile esset, illa propterea Deo inimica esse dicitur, & est verè,

rè,

re, eius nec legi penitus subiecta est, essene potest. *Apost. ad Rom. c. 8. nu. 5. 7. & 8. c. 7. nu. 7. 14. 23. & 25. P. ad Cor. c. 2. nu. 9. 11. 13. 2. ad Eosd. c. 3. nu. 17. Mat. c. 16. nu. 23. Mar. c. 8. nu. 33. Io. 1. c. 2. nu. 15. & 16.*

Caro ergò à præfata concupiscentia sensibili hac prædita cognitione, vnico tanquam illius agendi principio ad venereas has incita voluptates intra se naturales suos à se emittendos prçconcipit actus, qui cum Deo, eiusq; diuinæ aduersentur, & contrarij, & inimici sint legi, homini quoq; qui Deo subditus est, ac eius diuinæ subiacet legi, secundùq; illius debet præscriptum viuere, sint peccata, consequens est, illos ergo intra se tanquam emittendos præconcipiens, consequenter peccata intra se concipere dicitur, à se verò cum factomet ipso iam emissa fuerint, & actu consummata generant mortem, quia re per carnem peccamus, & per peccatum morimur, propterea actuũ carnis consummatio, quæ prudentia carnis dicitur, promiscuè etiã peccatum, & mors dicitur, quia peccatum re generat mortem, *Eccl. c. 17. nu. 30. Iac. c. 1. nu. 15. & 16. Gen. c. 4. nu. 7. Apost. ad Rom. c. 7. nu. 17. & 20. c. 8. nu. 6. 7. 8. & 13.* concupiscentia similiter carnis promiscuè stimulus appellatur peccati, & mortis, quia causa causæ dicitur etiam esse causa causati, cumq; illa ad peccandum nos stimulet, vt faciunt angeli satanæ, angelus & illa dicitur satanæ, *Apost. 1. ad Cor. c. 15. nu. 56. & 2. ad Eosdem c. 12. nu. 7. ad Rom. c. 6. nu. 23. Mat. c. 16. nu. 23.*

Progressiua verò illa incentiuorum, motuum, processiuorumque actuum omnium potentiæ dictæ carnis series, & effluxus ab eorum exordio, vsq; ad illorum perfectam absolutionem cum sit re vera norma quædam à natura certis ordinata, & disposita ingenitis operandi modis, quorum medio suas omnes caro absoluit operationes, ipsa propter hoc lex dicitur carnis, quoniam vniuersæ carni à natura pro generis ipsius fuit assignata lege, cuius infallibili ductu caro ad consummationem omnes suas perducit operationes, *Apost. ad Rom. d. c. 7. nu. 23.* quæ cum sint merè sensuales, & soli deseruiant carni, mundo, & his, quæ in mundo sunt, & nequius nequidquam inueniri possit, quam quod ipsa excogitauerit caro, mundusq; totus in maligno positus sit, & in eo quæ sunt, cuncta sint vanitas carnis, & oculorum concupiscentia, & superbia vitæ, *Eccl. c. 17. nu. 30. Gen. c. 8. nu. 21. Eccles. c. 12. nu. 8. Io. 1. c. 5. nu. 18. c. 2. nu. 16.* Deusq; vt superius dictum fuit, sit spiritus, cui quod præstandum est seruitutis obsequium, in spiritu etiam, & veritate ei præstetur, necesse sit, quoniam spiritualibus spiritualia comparantur, sicut & carnalia carnalibus, *Io. c. 4. num. 23. & 24. Apost. 1. ad Cor. c. 2.*

nu. 13.

nu.13. & 14. & 2. ad Eosdem c.3. nu.17. ad Rom.c.7. num.23. & 25. c.8. num.5.6.7.8. & 13. & 14.

Hinc patet, quod lege mentis, quæ & spiritualis est, & consilio, & ratione constat, Deo, & iustitiæ seruimus: lege verò carnis, quæ carnalis est, & ratione, & consilio caret, non Deo, quoniam *ea, illius quæ sunt, non percipit, eius nec legi subiecta est, esse nec potest*, sed ipsi carni, mundo, & Satanæ seruimus, *Apost.d.ad Rom.c.7.nu.23. & 25.c.8.nu.5.6.7.8.& 13. & c.13.nu.14. P. ad Cor.c.2.nu.9. 11.14. 2.ad eosdem c.12.nu.7. Ad Eph. c.2.nu.3. Pet. p. c.2.nu.11.*

Ista igitur mentis, & carnis correspectiua agendi principia, cum ad inuidiã vicissim agere, & viuere contendant, & eorum agendi, & viuendi leges, actus, & vita sint sibi ipsis exaduerso contraria, *Iac.c.4.num.5, Apost. ad Gal. d.c.5. 17.24. & ferè per totum, ad Rom.d.c.7.nu.23. & 25. c.8. nu.5.6.7.8. & 13. P. ad Cor. c. 2.nu. 9. 11. 13. & 14. Ad eosdem 2. c. 12.nu. 7. ad Eph.c.2.nu.3. ad Colos. c.3.nu.5. & passim per vniuersa scripturæ loca*, eorum, inquam, vnumquodq; contendit, & concupiscit ad alterius inuidiam, vt secundum suam priuatam agat, & viuat formalitatem, & naturam, quia viuens omne ab ipsa mouetur natura in proprijs ingenita principijs, vt secundum se re agat, & viuat, quoniã ipsum viuere sibi ipsis præcipuum est bonum, quod aliorum est bonorum principium, & fundamentum, consequenter etiam vnaquæq; istarum substantiarum simul, & eodem tempore secundũ priuatam suam agat, & viuat formalitatem, & naturam impossibile est, non solum quia, si ita re fieret, sequeretur, quod nostrum non vnum tantum esset formatum, vt superius affirmatum est, & sacræ tenent scripturæ, sed duo sibi simul coherentia, se seq; perpetuò lacessentia, & destruentia, quod maximum esset absurdum, & contrarium ipsi vnitati formati, quæ suæ semper cõsulit indiuiduitati, cuius est amica semper, vt ergo vnum tantum sint, alterius etiam vna tantum ex dictis substantijs secundum se agat, & viuat, oportet, idq; nec aliter fieri posse ipsa manifestat impossibilitas, nam si præfatarum substantiarum, vt superius dictum est, præcipuæ leges, actus, & vita sibi ipsis sunt exaduerso contraria, & contraria se se perpetuò impugnant, & inuicem tollunt, *Eccl c.33.nu.15. Apost.ad Gal. d.c.5.nu.16. & seq. Ad Rom. d.c.8.nu.5.6.7.8. & 13.* consequenter actus, & vita vnius tollat actus, & vitam alterius oportet, tollens: vnius vita sit mors alterius, consequens est, sicut ergo quis simul non potest esse viuus, & mortuus, sic effectualiter non possunt priuata opera, & vita carnis, & spiritus esse simul, quia, vt dictum est, vnius vita, alterius est mors,

mors, & è contrà, & contraria si se inuicem tollunt, sublata non existant, oportet, idq; etiam ipsa manifestatur ratione: nam si cum veritate dicimus, quod actus a potentia educti, ipsam constituunt formalitatem, cum illa nil aliud sit, quam ipsa exsuscitatio actuum à propria potentia: omnibus consequenter ab alterutra istarum substantiarum potentia proprijs, ac priuatis sepositis actibus, sine quibus eius vita esse non potest, cum nil aliud sit vita, ipsum quam viuere, quod ipsemet est actus viuendi: substantia consequenter illa, à qua omnes suæ exciderint formalitatis actus, mortua sit consequens est, quia mors nil aliud est, ipse quam transitus ab esse formali ad non esse formale, nam quemadmodũ ipsius actualis exsuscitatio potentiæ ad actum ipse est formalitatis ingressus, à quo formatum formale suum recipit esse, sic per illius deficientiam desinat esse consequens est, alias sine suo esse formali posset esse formatum, quod impossibile est, à propria ergo excidens formalitate mortua sit, consequens est, quia priuatio, vel mutatio ipsius formalitatis ipsius est peremptio substantiæ, quæ sua remanet expoliata formalitate, *d.l.Iulianus exuli, ff.ad exhib.* Ideò, sicut qui à suæ desijt actibus carnis, in sua non amplius dicitur esse carne, sed suum emortuum habere corpus, licet anima eius a suo nondum migrauerit corpore, eo quia à carnis suæ desijt formalitate, *Ezech. cap.*18. *num.*9. *Apost. ad Rom. c.*8. *nu.*9. *&* 10. *Ad Colos. c.*3. *num.*9. sic erit per inualescentiam prædominij carnis nostræ super animam nostram rationalem, si ab omnibus desierit actibus formalitatis suæ, vt inferius suo loco dicetur.

Verum, quo magis per huiusmodi nobis liquidius hæc constare, ac manifestiora fieri probamus, ea tantò magis, quæ superius affirmata fuerunt, ex ijsq; quę consequuntur obscuriora reddi conspicimus, ita vt cogitantis animus penitus suspensus maneat, ac manere cogatur, qua videlicet ratione, & via in hoc humano dumtaxat formato caro, vicem in eo quæ obtinet materiæ, menti, vicem in eo quæ obtinet formæ, præualere valeat, præualens ei superesse, atquè dominari, cum hoc à cæteris alijs præternaturaliter ei videatur cõtingere formatis, quorum vnumquodq; à propria illorum forma, eorum tanquam motrici principio mouetur, regitur, ac gubernatur, sic autem motum rectum, ac gubernatum secundum illa vlla absq; contradictione, cunctatione, & mora operetur, & viuat, quia etsi primo intuitu huiusmodi ardua, & indissolubilis esse videatur difficultas, ab eodem tamen principio, à quo descendit, omnimodam, suauem, ac facilem recipit solutionem. Nam, si asserentes cum veritate dicimus; quod suum suo dat esse forma

for-

formato, & mentis esse, nostri quæ est forma formati, liberum, & voluntarium est, liberum quoq; & voluntarium hoc suo communicans esse formato ab omni illud præcisa eximens operandi necessitate, ita liberum reddit, vt in sui alterutram, quam maluerit, queat inclinare partem, ad alterutram autem quam inclinauerit, in semet ipsum semper inclinasse videbitur, quia vnitas omnis sibimet ipsi necessitudine, & natura est perpetuò coniuncta, & amica, a se ipsaq; vltrò inseparabilis. *Apost. ad Eph. c.5. num.29.* Hac autem sic euacuata difficultate, ac demonstrato, quod caro nostra nostræ verè valeat prædominari menti: reliquum est modò, vt ea, quæ superius à nobis affirmata fuerunt, sint vera, concludenti aliqua manifestemus demonstratione: Quod, videlicet, homo ille, cuius menti eius præualuerit, ac prædominetur caro, non sit homo ille, qui verè esse debet, quia, etsi ad hoc Apostoli, aliorumque grauissimorum vrgeat auctoritas virorum asserentium: Quod non caro, sed mens cuiusq; verè sit homo quisque: & quod in hoc a Deo factus fuerit homo verè, vt mens illius eius dominetur carni, non autem è contra, vt caro dominetur menti, *Gen. d. c. 4. nu. 7.* per hoc tamen non tollitur, quin mens nostra, nostri quæ est forma compositi, à qua nostri & haurimus, & retinemus essendi, agendi, & conseruandi principia, in hac nostræ perpetuò maneat carnis, ac sensibilis corporis vnitate, dum in hoc spirantes cõmoramur sæculo, *Gen. d. c. 2. nu.7. Sap. c. 15. nu.11. Io. c.6. nu.64.* manens autem per eam quoq; homines verè simus, consequens esse videtur. Quia obiectioni huic respondentes dicimus: Quod, licet ex prædominio carnis intellectiua re ipsa non maneamus priuati substantia, eo quod adhuc in humano hoc nostro perseueret composito, quousq; in hoc mundo expirantes viuimus, cum tamen actus à duabus his emergentes substantijs sint sibi mutuò, vt dictum est, exaduersò contrarij, seseq; inuicem oppugnent, & vicissim tollãt: hinc est, quod carne in composito hoc prædominante, actibusq; proprijs ex aduerso ipsis insultante, atq; oppugnante actibus mẽtis, istius sic in eodẽ succumbentis cõposito suppressi, & impediti maneãt actus, consequens est, sicut ab ijs illa cum veritate desijsse affirmamus, à propria sic desijsse formalitate negare non possumus, quia cuiusque formalitas viuentis ipsa est eductio actus à propria illius potentia, a qua eos educere desinens, à propria quoq; illa desierit formalitate, consequens est, qua dum in se ipsa caret, alteri illam communicet, vtiq; fieri non potest, quia dare nemo potest, quod ipse actu non habet, quam nobis veritatem volens manifestare Dominus noster, *Mat. d. c. 15. nu. 16.* discipulis suis eius actu
ser-

sermones non intelligentibus, sic ait: *Vos adhuc sine intellectu estis*, quia formaliter non est intellectus ille verè, qui actualiter nō intelligit, quia dictus intellectus dicitur ab ipso intelligendi actu, vt superius demonstratum fuit, in propriam ergo, si non se ipsum euehit formalitatem, alterum quomodo secum in vnitate manentem in eam euehet? Introducitur propterea Dominus *Psal.13.nu.2.* de cœlo prospicere, vt videret, si homo esset intelligens vllus, & videns, quod non: *Psal 48.nu.13. & 21.* ait: Quod *hi propter hoc comparati fuerunt iumentis insipientibus, & similes facti fuerunt illis*, qui enim intellectus non vtitur actu, in eius operibus vitæ *ipso quid amplius habet iumento? Eccles.c.3.nu.19.* formalitate propterea actu carentes intellectus puros se præbeant animales, consequens est, quia hac sola a cæteris distinguimur animantibus differentia, homo propter hoc ab ipso ratiocinandi actu, nostræ qui rectus est formalitatis actus, nuncupatus fuit animal rationale, ab hoc cōsequēter animale rationali ipso vsu rationalitatis actu amoto, purum sapiat animal, consequens est, à qua vt caueremus labe nos præmonens Deus dicto *Psal.31.nu.9.* ait: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, ita enim fieri si non valuissemus, vtique hoc nobis non dixisset Deus; quia *mentitur nunquam, frustra nec loquitur, quoniam sermo eius omnis est veritas, Num.c.23.n.19. Isa.c.45.nu.19. Io.c.17.nu.17.* in hāc propter hoc, qui incidissent labem, ne de eorum desperarent salute, per *Proph.Psal.35.nu.7.* eis præannunciari voluit: Quod Deus ex infinita eius miseratione *non solum homines, sed & iumenta saluaturus esset*, quod de brutis vtiq; intelligendum non est, quoniam æternæ sunt incapacia salutis, sed de hominibus sic, vt supra, ob eorum prædominium carnis iumentis factis, iuxta tradita ab *Apost.p. ad Cor.c.9.nu.9.& 10.*

Huiusmodi propterea homines ad differentiam eorum, qui secūdum veram, & rectam humanæ naturæ nostræ formalitatem viuunt, & operantur, ad eruditionem nostram in sacris chartis, sub varijs, & diuersis tum in genere, tum in specie nobis repręsentantur brutorū nominibus, prout feris eorum magis videntur assimilari naturis, ad hoc vt abiecta eorum horrescentes nomina, ab eorum quoq; feris, & irrationabilibus se abstinerent operibus: nam ab *Apostolo ad Rom.c.8.nu.8.* modò sub generica carnis natura *dicuntur esse secundum carnem*, quia in humano eorum composito ipsa prędominatur caro, ex cuius genere omnia constant animantia terræ. Nam mente in composito nostro se carni volūtarie subiugante tunc caro, quæ in eo vti obediens materia anteà morabatur, modo vti agens forma à priuata eius potentia incipiens naturales

les suos posse producere actus, consequenter etiam in aliquam, prout caro est, se euehere formalitatem alicuius speciei animantis similem, secundum quam agendo eius dicitur referre similitudinem, prout vel à propria est magis disposita natura, vel à priuata sua magis propellitur propensione potentiæ, vel ab aliquo assueto rapitur habitu, idq; tanto efficacius ab ipsius mentis adiuta famulatu: nam ex componentibus partibus pars illa, quæ in nostro *ab altera victa fuerit composito illius efficitur serua. Pet.2.c.2.nu.19. Apost.ad Rom.c.6.nu.16.* quæ autem seruit, sui libertatem non habet, sed illa, quæ sibi dominatur, que verò seruit, sibi dominanti famulatum præstet, oportet, quoniam huiusmodi est forma seruitutis, & dominij, *l. 1. C. de ser. fug. Apost.d. ad Rom. c.6. num.16. & 20. Io.c.8.nu.34.* Modò *animales appellantur Apost. 1. ad Cor. c. 2. nu. 14.* quia non secundum ipsam mentis naturam, quæ rationalis est, sed secundum cæterorum animantium naturam, quæ irrationalis est, viuunt, propterea animales appellantur, & appellari merentur. Modò *canes insatiabiles*, quia inter cætera animalia magis canibus assimilantur, quia cibo explentur nunquam, & nunquam contra proximos latrare facto desinant, *Isa.c.56.nu.10. & 11. Psal.21.nu.17.* Modò *equi emissarij* ob indomitam eorum libidinem, *Ier. c.5.nu.8.* Modò *Lupi*, quia rapiunt prædam ad effundendum sanguinem, *Ezech. c.22.nu.27. Mich. c.3. nu. 11. Soph. c.3. nu.3.* Modò *irrationabilia pecora*, quia pecudum more solo deseruiunt sensui, *Pet.2.c.2.nu.12.* Modò *equi, & muli sine intellectu*, quia tantum ab vsu (vt ita dicamus) intellectus absunt, quantū muli, & equi à potentia intellectuali, *Psal.31.nu.9. Psal.35.nu.4.* Modò *animalia muta*, quasi spiritu omnimodò careant, *Iud. sua vnica nu.10. & 19.*

Huiusmodi enim brutorum imitantes opera vitæ, illis similes effecti esse dicuntur, quia similitudo verè in ipso consistit opere vitæ, *Bar. c.6. nu. 4. Sap. c.2. nu.12. & 15.* ipsorum sic nominibus appellari merentur, quia nomina ipsis correspondere debent rerum formalitatibus, *Gen.c.2. nu.20.* quæ omnia miserabiliter nimis, & olim actu practico euenisse legimus, & hisce etiam nostris miserabilius euenire conspicimus temporibus, in quibus Christum Redemptorem nostrum agnoscentes, & confitentes longius ab huiusmodi abesse deberemus; nam, suæ qui se subiecerunt dominio carnis, in aliquam etiam sunt regulariter prolapsi irrationalem speciei alicuius animantis operationem, prout à suæ nequitia rapti fuere carnis, quam sequentes ei etiam se similes in factis illorum exhibuerunt, nam Alij Ceruorum more tanta exarserunt libidine, vt insāuisse visi sint: Alij rapacitates fallaces Vulpiū dolo, & fraude

de exuperarunt: Alij Hyrcanarum Tygrium feritatem crudelitate vicerunt: Alij effrænis alijs anteiere belluarum cupiditatibus, prout ab eorum dominante fuerunt inciti carne, ex quibus satis concludēter apparet, quod hoc nostrum carnis figmentum in humano hoc composito nostro menti nostræ prædominans appositum est omnis similitudinis animantium subiectum, nam in eo dum vti materia caro, vt conuenit, perseuerat, in eo etiam tanquam genus interuenit, quia materia non se ipsam in aliquam euehit speciem, sed a sua specificatur forma, specificata conseruatur, quousq; præfata forma in dicto prædominetur composito, & suam retineat formalitatem: Cum verò caro menti prædominari incipit, illa tunc vim assumens formæ, se tanquam olim materiam specificat iuxta naturam differentiæ illius, in quam à stimulo nequitiæ suæ rapta primum offenderit, nam quemadmodum aliqua generi accedente differentia noua semper in natura constituitur species, sic carni nostræ olim tanquam generi in nobis existenti, si postea mentis nostræ obtinenti prædominium naturalis alicuius speciei animantis adhæserit differentia, eueniet, & tunc homo dicitur destruere, quod *Deus ipse perfecerat*, *Psal.* 10.*nu.* 4. nam quando Deus hominem constituit, ordinauit, vt mens carni dominaretur, cum verò hanc nos peruertimus operationem, dicimur destruere, quod Deus ipse perfecerat, & destruimus verè.

Quod arcanum mysterium, quoniam est altissimæ perscrutationis, ante oculos nobis voluit proponere Deus in persona Nabuchodonosor Regis Babylonis, vt contemplata Maiestate tam magni Regis, eius vastitate imperij, & deplorabili ei superueniente calamitate in auge suarum felicitatum, attestata ab irrefragabili sacrarum literarum veritate, qui in medio aulæ suæ regiæ repentè in vilem, & horridam fuit conuersus belluam, ob cuius toruum, & horrescentem aspectum confestim ab hominibus ab aula, & vrbe eiectus fuit; ipse autem à naturali instinctu speciei belluę illius, in quam versus fuerat delatus syluas petijt, antra coluit, & fœnum comedit vsquequo spatium septem compleretur annorum in sui pœnam delicti, *Dan.c.*4.*nu.*28. *& seqq.* vt ab hac nobis nota facta veritate, & tanti territi exemplo viri nostrum diligentius curaremus seruare mentis principatum, ne illum indignè abijcientes illius liberalissimo datori nosmet ingratos reddentes, & in illum, & in nosmet ipsos grauiter peccaremus, peccantes pœnas lueremus, nam in eo, in quo quis peccat à Domino corripitur, *Sap.c.*11.*nu.*17.

Mentem enim, nostri quæ nobilior est pars cōpositi, per cuius vsum

homo in sui fuit à Deo constitutus principatus throno,& consequenter in sublimi, & magno honore, suæ dominio infrunitè subijciens carnis, suam tanquam voluntariè naturalem abijciens formalitatem, vt communem cum bestijs viueret vitam, meritò in sui pœnam delicti *comparatus fuit iumentis insipientibus, & similis est factus illis, d. Psal. 48. nu. 13. & 21.* nam, si ex prædominio carnis super mentem nostram præualente ab ipsa nosmet elongamus rationalitate, à qua, tanquam differentia, humana nostra species à cæteris animantium distinguitur, & separatur speciebus, & ad irrationalitatem, ex qua species cæterorum constant animantium accedentes re animaliter viuimus, propriam vtique formalitatem actualiter mutasse dicendi sumus, & mutamus verè, quia formalitas, vt superius dictum fuit, nil aliud est, quam ipsa naturalium actuum à recta, & propria potentia cuiusq; speciei viuentium eductio, a qua non eductis, ea etiam tanquam mutata huiusmodi viuens interijsse dicitur, sic & nos etiam interijsse dicendi erimus, *d.l.Iulianus §.si quis ff.ad exhib.* nam si formalitas, à qua res omnis formale suum recipit esse, actu mutetur, res cōsequenter illa, quæ prius in indiuiduo erat, non sit amplius, consequens est, si ita: etiam interempta sit, ipsa exquirit ratio, quod a sacrarum quoq; Scripturarum sensu non est alienum Domino, *Ezech. c. 17. nu. 32.* dicente: *Nolo mortem per peccatum morientis, quia peccatum verè est mors. Apost. ad Rom. d.c.8. nu.6. & 7. Et Gen. c.2. nu.17.* Adæ dicente: *In quacumq; die de eo comederis, morte morieris. & Mat. c.8. nu.22. & Luc.c.9. nu.60.* dicente: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos, tu me sequere. & Apost. ad Rom. c. 8. nu. 13.* ait: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini,* quia verè per carnem peccamus, & per peccatum morimur. Si autem mortui sunt, qui etiam, & qualis erant prius, non sint amplius, consequens est, immò per huiusmodi humanæ amissionem formalitatis, ipsorum ad nihilum vera deducta humanitate iam *nihil esse* à sacris dicuntur literis, *Esth.c.14.nu.11. Apost.p.ad Cor.c.p.nu.28. & ad Rom. c.4. nu. 17.* non quia nihil omninò sint, sed quia per huiusmodi prædominium carnis, & eum mentis principatum, & eam rectam viuendi, & agendi formalitatem, quam pro nostra nobis gratis, tradidit Deus salute, & gloria, indignè abiecerint, quo, & qua abiectis, quod ad perfectum in nobis deduxerat Deus, eorum dicuntur *destruxisse* culpa, & ingratitudine, *d.Psal.10.nu.4.* & iam veri homines, qui prius fuerant, non sint amplius, nec liberi, sed animales homines, & serui peccati, *Io. c. 8. nu.34. Apost.ad Rom.c.6.nu.16.17.& 20. P.ad Cor. c.2. nu.14. Pet.2. c.2. num.19.* cui qui seruiunt, *in tenebris ambulant, & nesciunt quò vadant, vel*

ruituri

ruituri sint. Ecclesf.c.2.nu.13.& 14.Sap.c.p.nu.4.& 5.Eccl.c.4.nu.22.c.6.nu.4.c.10.nu.16.c.23.nu.3. Psal.81.nu.5. Isa.c.24.nu.6. Io. c.12.num.35. c.3.nu.19.& sua p.c.p.nu.6. Prou.c.4.nu.19. c.5.nu.22.& 23.c.6.nu.32. c.24.nu.20. sed forsan quis obijciendo dicet: Nonne omnes homines luminis sunt participes intellectus? vtiq; sunt, *Iob c.12. nu.2. c.13.num.2. c.21.nu.29.*

Sed ab eo nos etiam, si licet, hoc replicando exquirimus: Nonne lucerna in cubiculo accensa eos illuminat omnes, in eo qui sunt? equidem: eam tamen *si quis sub modio posuerit, eorum nulli, in cubiculo illo qui erunt, elucebit lumen eius, Mat.c.5.nu.15. Mar.c.4.nu.21. Luc.c.8. nu. 16. c.10. nu. 33.* ita, suæ suum qui supposuerit carni intellectum, ei non elucebit lumen eius, quia obcæcauit eum malitia carnis eius, & tenebræ eius conculcant eum, *Sap.c.2.nu.21. Prou. d.c.4. nu. 19.* Idcircò *Reg. Proph.* sub figura hominis iam suæ subiugati carni, *Psal.39.nu.13.* ait: *Iniquitates meæ*, quæ tenebræ sunt in carne mea habitantes, *Apost. ad Rom.c.7. nu.17.& 20. Prou.c.24.num.8.& 9. comprahenderunt me*, idest cooperuerunt oculos meos, *& non potui, vt viderem*, quæ videre debebam, etsi ergo spiritus noster intellectiuus nostræ sit proprium humanitatis lumen, illum qui sub modio suæ supposuerit carnis, *quæ non percipit ea, quæ spiritus sunt*, in eius vtique lumine ea videre non poterit, quia dominans caro illarũ est incapax: intellectusq; seruiens suæ non est dominus libertatis, sed caro ei prædominans, *d.l.1.C. de ser. fug. Apost.d. ad Rom.c.6.nu.16.& 20. Io.c.8.nu.34. Pet.2.c.2.nu.19.* dum ideò sub illius manet seruitutis iugo, ita deliciarum illius est agglutinatus visco, vt ab eo se iam non exsolui posse putet, & quasi in labyrinthi inextricabilibus constitutus vijs, quò semitam egrediendi inueniat, non inuenit, fascinatio enim nugationum prædominantis carnis vera obscurat bona, & concupiscentia illius rectum transuertit sensum, malitiaq; illius peruertit intellectum, & fictio ipsam decipit animam, delicias enim carnis qui sibi pro fine, & felicitate proponit, ab eo etiam sua existimantur vita, hinc est, quod ei quæcumq; huic occurrerint detrahentia fini, & felicitati, suæ etiam tanquam contraria, ac nocua vitæ ab eo veluti ex naturæ instinctu habitu comparato, vlla absq; propulsentur cunctatione, & reflexione quæ, & qualia sint, quæ agit, quoniam ori suo sunt dulce malum, *Ier.c.31.nu.22.c.13.nu.23. Sap.c.4.nu.11.& 12. Prou.c.7. nu.25.26.& 27.c.9.nu.17.& 18. Iob.c.20.nu.12.13.& 14.*

Humana enim mens in hac vilissima, ac miserrima detenta carnis seruitute omninò vilescit, & a propria degenerat nobilitate naturæ,

 nam

nam illa non modo carni indignè famulari non dedignatur, sed eius tanquam pedissequa profusius, ac decet, eam enutrit, expolit, lustrat, ornat, odorat, colorat, cincinnat, ei blanditur, lenocinatur, ac etiam ad sensus illius concinnare dolos, facinora moliri non erubescit, immò illius scurra facta in conuitijs ridet peccati, exultat in malis, nec memoratur, quod, talia qui agunt, digni sunt morte, & tādem fit mens amens, nam sui penitus oblita, quasi euanescens in ipsam se transformauerit carnem, carnem esse amat, & ambit, & in delicijs illius vitam se habere credens, iam nil vlterius quærit, quā quod in carne habitat, peccatum, eo quia proprio posthabito lumine sapientia carnis sit facta lumen eius, & prudentia carnis, prudentia eius, *Prou. c. 10. nu. 23. c. 21. nu 4. 8. & 29. c. 24. nu. 9. & 20. Eccl. c. 11. nu. 16. c. 23. nu. 3. Sap. c. 1. nu. 4. & 5. Apost. ad Rom. c. 1. nu. 32. c. 8. nu. 5. 6. 7.* & alijs superius allegatis, de quo nos præmonitos esse volens Dominus, *Mat. c. 6. num. 23.* ait: *Vide, quod lumen, quod est in te, non sint tenebræ,* hoc est, vide, ne tuæ ducaris appetitione carnis, cuius sapientia Deo est inimica, & eius prudentia est peccatum, & consequenter tenebræ: si ergò peccata sunt tenebræ, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?* nam, si in sapientia, & prudentia carnis qui agit, semper diuinæ contrafacit legi, & peccat, & quodlibet peccatum est tenebra, huiusmodi tenebræ multiplicatæ quantæ erunt? ecce ergo, quod carnem qui sectatur verò veritatis relicto lumine peccatum, quod est tenebra, fit lumen eius, quoniam tenebræ verum nequeunt compræhendere lumen, quoniam luminis sunt priuatio, carni ergo, qui seruiunt vera sapientia, prudentia, & lumine priuati sunt. Sed rursus forsan quis dicet: quomodo carni qui seruiunt, non sunt sapientes, solertes, & prudentes, si hoc attestatur Dominus, *Luc. c. 16. n. 8.* dicens: *Et laudauit villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt,* & eiusdem, *Luc. c. 18. n. 6. & 7.* ex ibi præmissis inferens ait: *Si ergo iudex iniquitatis viduam ab aduersario suo vindicauit,* ob instantias illius, *cur non vindicabit Deus electos suos ad se die, ac nocte clamantes?* sicut & in alijs quam plurimis scripturæ locis, vltra ipsos experientiæ actus practicos, quibus contradici nullo modo posse videtur. Respondentes dicimus: Quod Villicus etsi actum prudentiæ exercuisse videatur: Iudex iustitiæ: cum tamen primus id fecerit iniquis finibus, & fraudulentis medijs, vt ibi manifeste patet: secundus non Dei, vel iustitiæ timore, amore, vel gratia, sed ne in suo pulsaretur syndicatu: neutrius actus ideò tribuendi sunt veræ prudentiæ, vel iustitiæ, quia veri virtutis actus eiusdem virtutis amore fiunt,
medijs

medijs licitis, & honestis, & in bonum finem. *Exod. c. 22. nu.* 10. *Reg. 1. c. 22. nu.* 11. *Sap. c. 6. nu. 2. vsq. ad 6. Eccl. c. 4. nu.* 10. propterea, *Sap. d. c. 6 num.* 11. scriptum est: *Quod, qui iusta iustè custodierit, iustificabitur.* Nam & Publicanus, & Pharisæus in templo orarunt ambo, vnus tamen ex ijs indè iustificatus discessit, alter non. *Luc. d. c.* 18. *num.* 10. 11. 12. 13. *&* 14. quia vnus benè, alius malè orauit: bona ergo benè, & in bonum sunt operanda finem, *Iac. c. 4. num. 3.*

Quod autem actu practico nobis videantur esse sapientes, solertes, & prudentes: responderi potest: quod cum eorum sapientia, solertia, & prudentia à necessarijs dictarum virtutum deflectant requisitis, ideò non vera, non recta, sed iniqua eorum est dicenda sapientia, solertia, & prudentia, *Eccl. c. 19. nu.* 22. nam solers, sapiens, & prudens ad concinnanda mala in conspectu Dei, non solers, sed vecors: non sapiens, sed insipiens: non prudens, sed stultus esse dicitur, *Ier. c. 4. nu.* 22. quia verè *non est sapientia nequitiæ disciplina, neq; cogitatus peccatorum prudentia, Eccl. d c. 19. nu. 19. Apost. ad Rom. c. 8. nu. 7.* Nam, *si nequius nequidquam potest excogitari, quam quod ipsa excogitat caro, Eccl. c. 17. nu.* 30. qui secundum eam viuunt, quomodo bona cogitare: *etsi Deo inimica est, quomodo de eo benè sentire poterunt? Sap. c. 1. nu. 1. 3. Psal. 2. nu.* 11. etsi caro à cuius reguntur, & deducuntur appetitu omnium, *quæ Dei sunt, est incapax, Apost. 1. ad Cor. c. 2. nu.* 14. quomodo illa perficere poterit, si principium recti operis agendi ipsi est illius rectè agendi præcognitio certa: *d. Psal. 2. nu. 11. & 12.* etsi *eius sapientia Deo inimica est, & eius prudentia peccatum,* & consequenter illius offensio, & ab eo separatio, & mors, *Apost. ad Rom. d. c. 8. nu. 6. 7. & 13. Isa. c. 59. nu. 2.* quomodo per eam eius diuinæ fient participes amicitiæ, salutis, & gratiæ? *Sap. c. 7. nu. 14. Psal. 118. nu. 155. illorum ergo sapientia de sursum non est, nec vera sapientia, sed terrena, animalis, & diabolica, Iac. c. 3. num. 15. Apost. 2. ad Cor. cap. 12. & 7.* Ideò in ignorantiæ tenebris perpetuò ambulantes semper magis offendant, consequens est, *Io. c. 11. nu. 10. c. 12. nu. 35. Psal. 81. nu. 5. Apost. ad Eph. c. 4. nu. 17. 18. 19.* etsi non omnibus carni seruientibus hæc omnia contingant, id ex summa Dei prouenit misericordia, & gratia, quia tali sic cadenti *suam dignatur supponere manum, vt ille suo non collidatur casu, Psal. 36. num.* 24. cęterum de eo sicut de cęteris actum esset, *Ier. d. c. 13. nu. 23. Isa. d. c. 24. nu. 6. 19. 20. Apost. ad Philip. c. 3. nu. 18. & 19.*

Si hæc ita sunt, illa nostrum contemnat nullus, nec in corde suo dicat: De huiusmodi euentibus mihi non timeo, quoniam sale & ego conditus sum: quia respondeo, quod prædominans caro sal omne insulsum

red-

reddit: quis enim sale plus conditus fuit, quam Salomon? *3. Reg. c. 3. nu. 12.* quis a Deo tam amanter de hac re commonitus fuit? quis de hujusmodi euentibus sibi minus timuit? tamen in eos offendit, lapsus est, sapientiam dereliquit, & sibi, & posteris suis miserabile extitit *stultitiæ exemplum, Reg. 3. c. 11. nu. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 33. Eccl. c. 47. num. 21. & 22.* Nam erit ille felix, quem fecerint aliena pericula cautum.

LAVS DEO.



In hoc secundo inuenta Tractatu.

Errata	*Correcta*
Pagina 9. linea 28. neq;	atq;
pag.11.l.25. alioquin	alio, quam
pag.16.l.21. in propriam	in proprium
pag.17.l.6. is	ea
pag.18.l.9. existant	existunt
pag.19.l.32. iilius	illius
pag.22.l.34. connaturalis	connaturales
pag.32.l.17. explantur	expleantur
pag.32.l.vlt. insanuisse	insaniuisse.

V. Don Iuuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli, Pœnitentiarius, pro Eminentiss. & Reuerendiss. D. D Hieronymo Boncompagno Bononiæ Archiepiscopo, & Principe.

Ex speciali mandato Reuerendiss. P. Inquisitoris Bononiæ De naturali humana formalitate nostra, &c. Tractatum Perillustris D. Dominici Tuschi accuratè perlegi, in quo cum nihil sacris literis dissonum compererim, quinimmò mirè dispositos cœlestis doctrinæ radios opus typis dignissimum reor.

Fr. Honorius ab Assumptione Carmelita Discalceatus Philosophiæ Lector.

Stante suprascripta attestatione

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus de Garexio Sac. Theol. Mag. Ord. Præd. Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.